



**Mansfeldiana militia Hungara. : Hoc est: Panegyris et vera
methodica narratio de virtutibus, vita, moribus, progressu,
disciplina belli, Rebus gestis, Morte illustrissimi Caroli,
magnanimi principis atque Comitis in Mansfeld. &c. Sereniß.**

**Austriae Archiducis Mathiae, Imperatoris belli Hungariae
inferioris Vicarij. Quibus neruosa militari prudentia elucescit
laboriosa expugnatio Strygonij & Vizzegradi. Sicuti etiam
habita praelia cum Turcis, & velitationes.**

<https://hdl.handle.net/1874/452500>

MANSFELDIANA MILITIA HVNGARA.

Hoc est:

PANEGRYRIS ET VERA METHO;
DICA NARRATIO DE VIRTVTIBVS, VITA,
MORIBVS, PROGRESSV, DISCIPLINA BELLV,
REBV GESTIS, MORTE

ILLVSTRISSIMI CAROLI, MAGNANIMI PRINCIPIS ATQVE
Comitis in MANSFELD. &c. Sereniss. Austriae Archiducis MATHIAE, IMPE-
RATORIS belli Hungariae inferioris VICARII.

Quibus neruosa militari prudentia elucebat laboriosa expugnatio STRYGONII & VIZZEGRA-
DI. Sic ut etiam habita pralia cum Turcis, & vultationes. Consignata in ipsis castris
Strygoniensibus; ANNO M. D. XCV.

NICOLAO GABL MAN qui Gloriosiss. CÆS: AVG: RVDOLPHI II.
iussu interfuit omnibus rebus.

Nunc primum, quod iucundæ ac prudenter, optimi ducis Idea, quævis scripta legantur, typis vulgata.




FRANCOFORTI
Typis Ioannis Collitij, Impensis Pauli Brachfeldij.

M. D. XCVII.

CORN. TACITVS III. AN.
NALIV M.

PAVCI prudentia, honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures
aliorum euenitis locentur, ceterum, ut profutura, ita minimus oblectationis
afferunt. Nam situs gentium, varietates praliorum, clari ducum exitus retinent atque
redit integrant legentium animum.



HENRICO ABRAHAMO AB
EINSIDEL, DOMO PHOENICII MONTIS AN-
TIQVAE NOBILITATIS ET EXPERTAE PRUDENTIAE VIRO:
Illustrissimi, optimi patriæ Principis, Friderici VVilhelmi Saxonie
Ducis, &c. Tutoris, atq; Electoratus Administratoris, &c.
intimo Consiliarii æternum feliciter voue

D. N. F.

NICOLAVS GABLMAN.

VIDEN quid otium & dolor faciat? illud, negotij intermis-
sione, hic amissorum memoria affectus fatigat: donec de-
siderij voto fuerit genij debitum exolutum. Mihi acerba
mors magnanimi Principis Mansfeldij vtcunq; attulit:
otium, quia bellici labores in castris tardiores: dolorem,
quia quotidie Achillem hunc Germanicum repetiui. Vtriq; malo vt
mederer, more illorum, qui sunt a Scorpionibus icti, otium otio, & do-
lorem luctu sum solatus: & tenuiter scribens quæ vidi, & solo indicio
repetens, quæ sua ipsius contemplatione mirificos virtutum excitant
amores. Tibi autem Generosis. Vir, mancipo illa, vt meo exēplo adum-
brata virtutum Mansfeldianarum imagine C A R O L V M Principem se-
mire diuiniū intuearis, qui tanto sui recordatione dignior, quanto
ipsem diuturna experientia clarus, acutissimè nobilissima ingenio-
rum cognoscis. Tacco de vetustissima nobilitate tua, nihil de politissi-
mis studijs addam. Duo hæc silere non possum, quod iuxta Homericā
Musæ oraculum πολύποτος, diuturna orbis peregrinatione mores
hominū atq; sensus Rerum publicis apprimè contéplatus: quemadmodū
aulæ nostræ oculus, & tam belli quam Sacrae Imperialis auditorij Pra-
gæ Imperatorius Consultor, Bartolomæus Pezzen in Ulrichskirchen,
& optimi viri & optimi ciuis, & vera nobilitatis exemplar, tibi est testi-
monio, cui adhuc felicissimo Constantinopoli Oratori Cæsareo, fami-
iliaris eras, diligens & tui & publici aliorum officii ratiocinator. Quod
subito mihi mens mea suggessit, quādo primitus cepi te in castris Hun-
garicis varia fortuna vsus ante biennium nosse: Virum, pace optimum,
bello fortem. Quæcausa est, cur hæc quoq; Mansfeldiana stylo & tra-
statione plurimum arida. (Qui assiduum clasicum patiatur sedatas in-
genij vires) mittam ad te, vt nimirum occasione horum tibi reuoces,
quæ aliquando inter nos de restauranda belli disciplina, de solo Turci-
co bello ad hostis vsq; interencionem strenuè vrgendo, pio in patriam
studio acta: sublatis nundinatorijs castris, quæ nouo malo hostis perni-
cieat, & triumphos nostros remorantur. Si etiam moueo saliuam tibi

A 2 desiderio

desiderio Hungarie, gaudabo cupidè motam: quia seculum hoc est nostrum, quo tui & tui similiū operæ maximus vñsus. Verum nuper inaudiū ex celsum tibi locum in Principe aula Saxonica, apud inclitum Ducem Fridericum VVilhelμum, Electoratus administratorē pellucidum optimi patriæ Principis exemplar assignari. Quo nūcio dupliciti nomine sum gauisus, & quia publicæ dignitati tuæ cordicitus faueo: & quia prudenter. ille Principū ab aucto & proprio diu merito elogio, dextra Imperij manus, fido sit politissimo ingenio tuo hac Monarchali armati orbis ætate ad resurgentis Reipub. nostræ cōmodum, atq; Mahometanæ cateruæ internacionē strenuè vñsurus. Vnde alia inscriptionis surgit ratio, quām vetustissima suppeditat Mansfeldianorū Comitum Principali dignitate familia, qui Sereniss. domus Saxonice feudales, blandè hanc nouiter Martia virtute partam gloriam lati osculabuntur, quemadmodum tū illis & auctor & approbator sis futurus.

Quod sperauī aliquid ardoris ab hisce chartis meis additum iri: iam propiore illarū intuitu despero, quia olēt pyriū puluerē & equinas fōrdes, nō oleū Demosthenicū: manu prius quam animo scripta, & scripta per æquos ut aiunt dispositos quadriga: & scripta pro solo, tristitia fōlatiū, nō Sole, Mansfeldianæ militiæ prostans documentū. Quæ causa est cur planè abijecerim quæuis: alia meditaturus, quorū sensu manes affice rentur. Verū vñserunt, quibus & imperandi & mouēdi me ius est, vt hæc castrænsia paterer videre lucē, quod essent, quæ suas reperirent fidissimas stationes. Quibus tui obsequio morem gessi, vt videoas malle me turpiter apud alios audire, quā permittere tui iutuitu semel quo quis modo eruta innerti. Vt bonus sim, scripturiætis mei mentē primus impulisti, & absēs visu & præsēs voto meo in castris, vbi præterfluēti ore, manu librarij hæc scriptitaui. Adeò sum tenax ingeniōrū, quæ in Solio Regū atq; Principū Germanæ Romano genio virescūt. Scio n. adhuc esse in vestra Alcinoi aula præstā. viros dignitate ac suā prudētia nobilitatos, Dauidē Pheiffer, Samuelē Mosbach, vtrōsq; Cancellarios, illū Electoralem, hunc Ducale. Addo Abrahamum Bock, VVolgangum Euleabeck, Ioan. Georg. Godelman, quorū illi sola illustri fama, hic vnicus meus Godelman, & officijs & amicitia mihi notus, tantò omniū mortaliū Reipub. studiofisi. quanto pessimus ille, qui eandē malitiosè ignorat. Si òia recenserē, quæ laudis merita mihi ab illis cōstant: assentādi studio notabor, cuius causa procul habui semper. Si cogito, vos omnes esse Freymonianæ Germanitatis antiquæ fidei sobolem: quem suā virtute magnum Imperij Germanici Romani Procancellarium nosti: literatis. voce orbi Christiano insigniter gratū, & validis consilijs prosperum, Ioan. VVolgangū Frey monium ab Oberhausen, nobiliss. generis, Cæsarei Sceptri nobiscum incliti Principis vestri exemplo deuotum, qui instar omnium finis Pat pianianorū & finis quoq; literatū, Vale. Ex castris Stryg. Cal. Nou. 1595.

CARMEN HEROICVM.

AD ILLVSTRISSIMVM PRIN-
CIPEM CAROLVM COMITEM A MANSFELD,
DOM. IN HOLDRING. &c. SACRAE CÆSAREÆ MAIEST. RO-
dolphi II. &c. Supremum Militæ DuceM, Et Regia Hispania-
rum Maiest. Consiliarium, &c. Cum sua Illust. Cels.

Pragæ esset: Scriptum

A
GEORGIO PONTANO A BREIDENBERG COMITE
Palatino Cæsareo & Poeta L.



Vc tua te virtus ô illustrissime Princeps
Carole flos Mansfeldiadum, generisq; labantis
Vis, mirandum incrementum virtutis auite
Nominis atq; tui meritique æterna per orbem
Gloria, sublimem duxit, statuitque theatro
Virtutum nobis spectandum Heroa potentem.
Ecquis enim nescit quantus pro numine summo
Proq; fide vera subiisti prælia victor,
Nouerit Hesperidum tellus, timet impius hostis
Acceptas clades, triculento Marte triumphum,
Et tua per cunctas diffusa est gloria terras.
Hinc tibi defessa mundi spes vna senectæ,
Orbis amor, cui fata Deusq; hîc plurima spondent
Venturis annis, in quem res tota recumbit,
Augustus semper magnusq; Monarcha Rudolphus
Vitalis festo, procerum spectante caterua
Applaudente omni populo & tua facta canente.
Ipsem et hos raros pariter largitus honores
Vnicus ex toto celebreris sanguine Princeps
Imperijs assensu atque omnes Heroas & inter
Illustres magno fulgeris nomine & armis,
Torquatumque suo fecit splendescere ab auro.
Huc tua te virtus ô illustrissime Princeps,
Huc labor ille tuus, grauiumque æternal laborum
Cura, gerendarum rerum bellique ferocis

CARMEN HEROICUM.

Dexteritas laudata, tuum te nobile pectus
Et cultura Dei in primis te duxit & ipsum,
Omnis Musa tibi, iuuenesq; senesq; precantur
Et praui & magni & quibus est tua gloria cura,
Cælestesq; fauent ciues tibi, terra polusq;
Gratatur, salue, salue illustrissime Princeps.
Eia age bellorum fortunatissime Princeps.
Et ductor, te sancta fides & sanguine Christi
Empta cohors omnis, te felicissima terra
Christiadum, Vngariæ afflcta magis anxia tellus,
Et caput imperij regnorum plurimus auctor
Magnatesque pari expectant ad prælia voto,
Danubiusque pater, Drauus, Sauusque Tibiscus
Te vocitant, turreisque altis è mœnibus vnum
Expectant nostris erectæ casibus olim,
Et violata fides miserum depressa caterua,
Te lachrymæ gemitusque vocant variata Tyranni
Supplicia, æternique Dei contemptus & ausus,
Infandi meritumque tuum nomenque decusque,
Optatusque Dei nutu per dura triumphus
Prælia, & infandi Mahumetis summa ruina.
Macte animo, virtute potens, & dextime Marte,
Eia age progredere, eueniat longa expectatio votis.
Nil te vexillum Mahumetis, sulficar ensis
Terreat, indignæ nil te collectio gentis,
Ipse tuis aderit votis Deus, omnis ab alto
Angelus auxilio veniet, iustissima causa
Causa Dei, fidei causa est & causa bonorum
Hic animos, arma verbis, hic spicula mitte,
Hic vibra gladios, cunctos hic coge potentes,
Exere virtutem, terras populosque Tyranno
Eripe, ceu Tamberlanus constringe cathenis,
Baizethi similem caueaq; include perenni,
Sis Scanderbegus, quem si natura creauit

Victorem

C A R M E N H E R O I C U M .

Victorem insignem, infandum sis Turnus in hostem,
Vt quid & hoc dicam, tu iam Mansfeldius esto,
Qui quondam, temet supera, virtute manuque,
Et proprijs ausis nomen tibi conde perenne.
Vt Mansfeldiades, & qui nascentur ab ipsis,
Quique tuum nomen capient animosius arma
Arripiant, post te longè vestigia clara
Felices ineant Mansfeldo nomine ducti,
Iam videor spectare truces ad prælia gentes,
Exhalare animas, miserum spumare cruentem,
Barbariem domitam, terras gentesque recepta,
Plaudentes populos, & ad oscula grata ruentes,
Et tibi munitas arces & castra patere
Angelico ductu, victum vincitumque Tyrannum,
Vngariam lætam victricem exinde cohortem,
Laurigerasque comas dictu visuque triumphos,
Mirandos; spolia, ampla trophyæ, insignia, pacis
Incrementa, nouæ insperataque gaudia terræ,
Ibimus hinc Solymam, Graecas lustrabimus oras,
Occiduis terris rursus iungentur Eōæ,
Atq; erit Augusti augusto quod tempore dudum
Cæsar is ut fieret, verbis signisque notatu.
Sis felix ergo, & vox omnis concinat Amen.

Hæc tibi currente stylo Princeps properante camœna
In tanto plausu procerum cum nemo poëta
Scriberet emeritas laudes, & præmia lauda,
Sublimi titulis cecini, tua gloria digna,
Atq; sacer Zelus, quo nnnc rapieris in hostem
Pro Christo & populo, tantis pro millibus vñus.
Det Deus optatas vires, finemque petitu,
Historiamque tuam vates conscribere possim,
Mansfeldi illustris Princeps & dextra Rudolphi
Cæsar is, Imperij clypeus, destructio Turcæ.

PAVLVS BRACHFELDIVS BIBLIOPOLA

Francofordianus Candido Lectori

S. P. D.

Si mibi (Candido Lector) ea vis lingua & fandi spectanda facultas esset, quam olim Periclem, qui eloquentia sua fulgurare & tonitrua ciere dictus, habuisse sancta antiquitas affirmat, aut si talis mibi esset differendi facundia, qualis quondam Ciceroni, fonti illi eloquentia scaturienti & in exhausto fuerat, qui Oratoriam artem non auxil solam, sed longe etiam lateq; propagauit (ut verbis Sabellici lib 7. vtar) quod muli pulchrius fuit, quam se Romanum Imperium auxisset: si, inquam, tanta aut similis eloquentia copia, vel Amalthea cornu mibi esset, de praelatis & beroicis virtutibus, de rebus laudabiliter gestis, de praeclarissimis studijs bellicis Illustrissimi Principis Caroli Comitis à Mansfeld, Sacratissimi Rom. Imperat. Rudolphii II. &c. Supremi militis Ducis, &c felicis recordationis: ante alios facile in medium aliquid singulariter proferrem: Sed cum lingua defectum, eloquentia inopiam, ingenij imbecillitatem in me perpendere, mibi tacendum potius, quam ineptius de illis aliquid differendum me hercle arbitrarer:

Neg^m mea ieiuna commendatione suam Illustr. Cels. indigere equidem crederem, cum & alij & certè præstantissimi viri fuere, qui eiusdem Illustr. Cels. virtutes, laudes, & res præclaræ gestas ad eculi abitudinem solutis & ligatis orationibus mirifice extulere, inter quos non possumus locum obtinet R. P. Georgius Schererius, qui in sua meis sumptibus ante annum publicata oratione de præcipuis & pulcherrimis eiusdem fortissimi Principis Mansfeldiaci, utpote de fortitudine, de prudenter, de iustitia, de liberalitate, de pietate, qua fundamentum est (testante Cicerone) omnium virtutum doctè declamauit, & penè omnem totius eius vita laudabiliter peractæ cursum accuratè perstrinxit:

Possem hoc adferre non in elegans Carmen Encomiasticum, quod in nostri Principis pidefuncti laudem conscripsit Clarissimus Vir D. Valentinus Leuchitius Comes Palatinus Carens, &c. Quod ita incipit:

Carolus Herorum quo non felicior alter
Princeps, Belligerum nobis fortissimus aut,
Flos Mansfeldiacus decus & memorabile stirpis,
Relligionis amans, cultor pietatis auita,
Marte potens, Getico qui formidabilis hosti,
Quem patulo celebrant solum tot in orbe triumphi,
Hoc fatus rigidus concessit morte peremptus,
Vivere qui dignus fiterat vel Nestoris annos, &c.

Inter istos & alios Excellentissimos viros præclara quoq; laude dignus est. Doctissimus vir Nicolaus Gabmannus, qui ipfmet omnibus rebus præfertim in Hungaria & circa opugnationem castri Strygoniensis gestis interfuerit, quod hunc tractatum, quem modo typis & sumptibus nostris exhibemus elaboratum, de vita, moribus, progressu, disciplina militari, & morte eiusdem felicissimi Principis historicè scripsit, & eam ob causam appositè Mansfeldianam Militiam Hungaram nuncupauerit: Te autem Candido Lector rogatum volumus ut operam studium, sumptus, curas, & labores nostros in tua uilitatem, commodum, usum & gratiam impensos boni consulere, nosq; ad maiora molienda, promouenda & ad commune Respub. augmentum incrementumq; prestanta erigere & excitare non dedigneris, Vale.

MANSFELDIANA MILITIA HVNGARA.

DRAGÆ adhuc eram, quando CAROLVS Mansfeldius Princeps ex Belgio, à glorioſiſſimo Cæſare Auguſt. impulſu Germanorum procerum vocatus, eò cum numeroſo famulatu decimo Martij advenit: quem ſuperiori anno in comitijs Ratisboniensibus ſacri Imperij Principem, vnitis ordinum votis nuncupatum, CAESAR publicè Imperatoria dignitatis, equitem creatum manu Sereniss. Archiducis Mattheiæ (qui cum Iuſtriflmo Carolo Burgavio Marchione praefens aſtitit, cuius feſtivitatis ſignum publicæ epule trium Principum accubitu oſtenderunt) inſigni Baltheo condecoravit; jurata fide priuis, per excellum procancellarium Imperialem Ioh. VVolg. Freymontium, gravi & prudentiſlmo eloquio exacta. Paulò poſt circa principium Maij, ſeceffit me comite Viennam, ubi tota civitas ardebat militum furore, qui ob non ſoluta ſtipendia in vicinis locis hybernabant.

Pactus eſt ſubitò cum prefectis, quorum alij cùm illicita lege, quodvis pro ſe, non militibus ſuis attraherent, graviterin illos eſt invectus, novum eſſe dictitans: pericula belli ad gregarios, lucrum ad Duces pertinere.

Memini, quendam intemperantis linguae pprefectum venia introēundi petita longum de nummorum paucitate conqueri, cum ille: Tace, inquit, garrule, ore quam dextra melior: ſi caput incaluerit, cave: belligerare non cauponari bellum oportet, video vos clementiſſ. Cefaris mei pecunię, non hostibus inſidiari: haud Germanum hoc eſt.

His dictis tergo verso ex oculis diſceſſit alter, quia optimè
B noverat

MANSFELDIANA

noverat; istam vocē certissimū ictus nuncium, si quis durius intaret. Vbi ego astans collegi, natura esse iracundū Principem, sed cum ratione semper, quia prædixit cuivis, qualem esse velit, qualisq; ipsem erga illum sit futurus. Quæ sobria mentis com-
motio virtus apud me, non vicium est: præcipue in belli Duce,
quem ferratas sàpè voces habere oportet.

Sed nolo iam latius in castra evagari: satis est in prima porta gradum fixisse, ob longos munitionum circuitus, quos absque certis metis pervagari nō possum. Ità agam, ut videas quid à me expectes. Quatuor sunt, quæ vulgò à belli duce desiderātur: Scien-
tia rei militaris, virtus, auctoritas, & felicitas. Quæ omnia
mihi certos cancellos circundabunt, extra quos egredi nō pos-
sim, licet maximè velim: operam daturus sedulò, ut tota optimi
Herois vita, si non penitus, attamen aliqua ex particula simplici
colore depingatur. Nihil. n. hic de Illustribus natalibus, qui ante
mille annos inter duodecim Saxonum menstruos Regulos re-
lati, fortissimæ gentis Principes extiterunt, quemad: hodierno
etiam die Petrus Ernestus, pater nostri ævi ducum præstantiss. o-
ctuagenario maior: Lucen burgico principatui est ab aureo Hi-
spanorum Rege Philippo II. præfектus. Neq; Belgij aut Francie,
sicuti neq; Hispaniae militiam attingendi animus est: propterea
quòd ex equo cursui disposito, vel magis ex volanti Martio Pe-
gaso, hæc præterfluentे ore dictito: incertus, num & quando
Musis meis otium fuerit datum, ut quæ ardua, pro æternitate po-
steritatis in totis Annalibus Hungaricis molior, decenti genio
ex magna lege belli perducam. Sicuti quoq; inter media belli
tormentorum fulmina noticia pensum assuetus duco.

Miror. n. molliculos seculi mores, quòd chartacei milites
bella declamitent, qui neq; castra nunquam viderunt. Quid ge-
stum, scire possunt: cur ita gestum, cur feliciter aut perperā col-
latis signis pugnatum, scire non possunt. Ego, quod parū apud
melitarum est, hausi in diversis & varijs Lycæis: osor illorum
studiorum, quæ segnis otij sunt velamentum: sensibus menti
coniunctis.

MILITIA HVNGARA.

3

coniunctis. Atq; iam rursus me hoc sacri belli ausu militiæ mācipavi, ut ventosi oris fucata volubilitate posthabita, experiar, quanta sit totius viri ad arma propensio: & quantum fori armata Pallas sibi deposcat. Tu conatibus meis fave, atq; iam quæso ignoscas ruditati: nihil apud nos subtile, omnia (ut nolsti) sunt in durius, armorum, laborum, periculorum. Nunc ad primum:

Cum fine Maij relicta Vienna Hungariam & primitùs magno ardore ingressus: dans locum Veteriburgum, viginti quinque millia passuum à Iaurino, quò Cæsarianæ copiæ uniantur. Vix mille passib. abest oppidum VVeselburgi: quondam hominibus frequens: nunc ob Iaurini hostilem vicinitatem habitatorib. planè viduatum: ubi fuit primis castris principium: fossis quadrangularibus militum labore munitis.

Quo in opere CAROLVS Mansfeldius, cum inclito CA-
ROLO Burgovio Marchione ^{supremo} equitum Præfecto: ma-
gni Iudicij ac laboris Principe, fuit primus: nulli ex quovis ordi-
ne militum fodiendo secundus. Confectis iam ex parte agge-
ribus, Danubium subitò cymba transmisit: gladio lateri alliga-
to saliceta metens. Quod exemplum reliqui omnes fecuti,
uno die fasciculorum myriadibus, egestæ terræ immisisti castra
circumvallârunt: ubi coram didici: Ducem belli sicut ad hono-
res, ità etiam ad labores atque pericula primum esse oportere. Vnum verò tibi recensebo: quod per se durum, arguit discipli-
nam militarem alijs, quām civitatem, legibus contineri.

Duæ cohortes peditum erant in præsidio arcis Veteribur-
gi, quasi iussit in campo cum reliquis copijs coniungi: cui man-
dato sanè illi aliter parere noluerunt, quām stipendio perso-
luto.

Agnovit Mansfeldius justa peti: & per literatissimum Ar-
noldum Helium, sibi à secretis, quingentos taleros ex suis, præ-
fecto ut partiretur inter suos, mutuavit: recipiēs bona fide, intra
dies quatuordecim de reliquis satisfactum iri.

B 2

Noluit

Noluit miles totius debiti exactor: monuit Mansfeldius iniqua in belli articulo peti: ne petulanter iræ causam matuerent: fore ut extremi ruina poeniterent. Imperabat arcii, longa militia & nobilitate clarus Sigismundus Hager Austrius, qui inter omnes ita est locutus: Moneo vos ô fratres, ut cepto de-sistatis: quia Princeps mortem minatur nisi exeat.

Moriamur, clamitârunt aliqui: pecunijs non morte o-pus est.

Interim à Mansfeldio venit nuncius, qui sciscitaretur: quid sensus inobedienti militi esset: renunciante illo, antiquum ob-tineri: me avolantem significare jussit: vel exeendum vel mo-riendum.

Iniunxerat actutum præfesto arcis Hagero, ut tormen-tis undique collocatis transverberaret omnes: frustis in aëra disiectis: qua voce milites admoniti, reliquo petulanti ausu, sunt alios subsecuti.

Iam circiter viginti passus confecerant, quando per ali-um nuncium illis obviam missum percunctabatur: num legi se militiæ puniendos committerent, vel ministris.

Respondit Præfetus: se Iure militari in noxios animad-versurum. Quo dicto: age nuncius, & sequere: assignatum in castris locum citius circumvallato.

Quinta iam erat pomeridiana: & secundum renunciavit Mansfeldius cohortium præfesto, ut autores tumultus puni-endo, disciplinæ satisfaceret, vel severum justitiæ patronum ex-periretur: puniam, ait, omnes: & crastina lux locuples testis esto.

Nocte insequenti, tres fuerunt autores ex vigilum sta-tione adducti, & manè momentaneo militari judicio post cau-sæ disceptationem meriti iudicati, qui fune morerentur. Vnus erat ex Suevica nobilitate admodum egregius adolescens: nu-mero ex Academico literario genere ad arma delatus: Reliqui duo

MILITIA HVNGARA.

5

duo ordinis gregarij: Sed primum favor defendebat: quem Suevicæ legionis Praefecti apud Mansfeldium sollicitè augebant: afferentes unicum & Patris & familię hæredem: nuper ex scholis ad bella experiendi amore tractum: nihil malignitate sed ineptitudine juvenili aliorum instinctu peccasse: reddebat afflictis parentibus, quem severa militia, mortis lege necavit:

His dictis annuit voto Mansfeldius: sed priusquam nuncius retrò cursitans ista renunciaret Praefecto, iam:

Informi lethi nodus trabe nexus ab alta.

suspensus iam erat miser. Quo cognito Mansfeldius: Esto, ait, ex reliquis duobus unus, qui munere meo vivat, sed judicio tesseræ permisso: cuius jactu qui superior, vivat: alter morietur: stabant utrique fune collo iniecta: Et tesseram vitæ ac mortis magistrum inviti approbantes, maiori spe quam fiducia, misto sanè metu, apprehenderunt.

Primo cecidere sex: alteri una primūm quatuor, Deinde post fatalem gyrum secunda tessera tardius considens, tria ostendit: unitate primo superato.

Qua nimirūm lætitia circumstantes effusi, ob redditam illi vitam sunt gratulati, & fune collo detracta comiti infoelici mortis obeundæ patientiam, quæ ab alta arbore suspensum est subsecuta. Qua iam fama invalescente omnium animi sunt consternati, mortem ex minima culpa sibi ominantes. Qui poenarum metus effecit, ne facile quis solitas petulantiae habenas laxaret.

Ex quibus iam colligis, optimum Heroëm militiæ fundamentum in severa disciplina constituisse, quam alijs quoque experimentis confirmavit.

Secundo Aug. graviter sumus ab hoste pulsi: amissis ferendis in pomeridiana quadam velitatione: quam nox tandem bono genio intervenit.

B 3

Nimi-

MANSFELDIANA

Nimirtim eo tempore magnus mihi est Princeps visus: tota castra erant metu impleta: lixarum, colonorū turba hinc in redebus convasatis discurrente. Quod metuens Mansfeldius reduxit copias: non obscurè yolvens animo, ut ponte rupto spem fugæ omnibus tolleret: cunctis ad tuitiones castrorum inter valla collocatis. Tandem mecum mandato allegavit ad stationes Vigilum, quibus edicere iubebat, ne ullum mortali- um absque præscitu transire permetterent, nisi mulieres aut adolescentes octodecim annis minores. Quod ego religiose ut fuit dictum exequabar: Ilicò venit Hungarus Eques (vulgo dicunt Hussarum) domum se mitti afferens, ut heræ suæ significaret, maritum prælio necatum. At præire impeditus, ur- fit transitum vehementius, sine dubio nescius, periculo capitis lege belli excubitores viæ molestari: subito accurrit unus à ponte ad Mansfeldium: de Hungari importunitate conque- rens: cui Princeps: iubeo suspendi? & subito loricatus, ocrea- tus, equo detractus, sub vestibulo pontis bifido ligno est ne- catus. Quo exemplo reliqui attoniti, cautiùs fugam sunt me- ditati.

Miles etiam universus voce Mansfeldij audita, libidino- sa licentia immemor, nihil nisi DEO, & hominibus gratum e- git. Quocunq; .n. exercitus perducebatur, planè vacuas rapinæ manus gessit: colonus in villa: civis in oppido: opiliones in campo: tuti munia sua peregerunt: Hinc factum est, ut plurimi rustici ex vicinis pagis cum exiguis muneribus, apud se ut diver- teret, enixè rogariint: tutos se ab omnibus fore arbitrantes, neque arborum fructibus, qui aliâs gulosorum sunt præda, diffisi.

Equitem vidi apud Comorinum, qui sepimento trans- misso cerasis insidiabatur: cui alter: cave, ait, mi frater, cerasum attingas, quia Mansfeldius omnium est custos quotquot in Hungaria crescunt.

Tum

MILITIA HVNGARA.

7

Tum ille : funem tanti non emo. Et gulæ victor ex hor-
to ad stationem suam est reversus : nulla omnino arbore atta-
cta : licet plurimæ nigerrimis cerasis aquantes oculos blandi-
mentorum matres invitatabant.

Alium vidi ex lixarum numero, qui à milite rogatus , ut iu-
varet se in cymba provchenda: quod anseres Danubio natan-
tes vellet sclopeto traijcere. Cui ille: pereas cum tuis anseri-
bus : Ego pro te mori nolo. Vivit Mansfeldius qui te rapto-
rem vivere non permettet. Si mille anseres manibus meis in-
siderent, absque iussu capere nollem.

Circa principium Iulij venit transfuga , Rassus natione ,
Buda cum duobus equis, Et nocte incidit in excubitores equites
Germanos , qui homine dimisso equos abstulerunt: præfecti
sui (cuius nomen lubens taceo) exoptatum munus , quia gene-
rosi. Altero die venit miser ad Mansfeldium, de gesta re conque-
rens: à quo per famulum ad Præfectum remissus cum manda-
to, ut equis restitutis hominem præstaret indemnem: quod si
bitò quidem recepit , sed contrario facto equos sibi ac jussum
gratius demonstravit.

Rediit secundū Rassus ille: damnū suum militario desiderio
augens, quod diceret : se sacri belli causa Turcarum odio indu-
cto transfigisse, nunc solos equos remorari, quò minus se mi-
litem sit professus, orare Principem, ut sibi de restitutione au-
xilio esse velit: Indignabatur Mansfeldius ob mandatum pri-
mò neglectum: & subitò per virum nobilem hæc turmarum
præfecto nunciavit: nisi ante solis occasum hodie utrosque e-
quos Rasso restituat, cras suspensum iri. Quo dicto Rassus re-
cepit equos , atque alter , avara libidine illusa , est legi militari
satisfacere coactus.

Quæ & plurima alia exempla ostendunt, sola disciplina „
militem fieri, non robore nasci, neq; aliud, præter illam esse vi- „
ctoriae fundamentum.

Neque

MANSFELDIANA

• Neque erravero, si exemplo Scauri dixero, Pomiferam arborem, in medijs castrorum positam, ab exercitu nostro Mansfeldiani imperij gnaro, esse intactis fructibus relictam.

In castris enim omnia erant tuta: non secus atque in Repub. optimè constituta. Vbis locorum homines inter se atque in foro negotiabantur. Gallinæ, anseres, circa cuius tentoria, atque in Gallinario, nullo custode pascebantur. Aurum in capite, quod aiunt, gestares, noctesque diesque tutò de omni latrocinijs periculo securus. Et mirè sagax in sententia dicenda, in causis cognoscendis, in pœna infligenda fuit: Qua hora quis alium accusabat, eadem & res cognita, & sententia prolatâ: & quo maiori dignitate quis pollebat, eò minus delinquenti ignoscet.

Sæpius quoque hanc vocem ab illo audivi? Qui contra me peccant in privato causæ negotio, illis facile ignosco. At qui contra clementiss: Cæsarem meum, debito munere neglegto: illis nimirùm neque volo neque possum ignoscere: „ quia præmia & pœnæ sunt militiæ fulcra. Nec ego magis „ quam alij à suspendio tutus: si ncmpè ignarus officij desertor, iero in devia, publicæ calamitatis autor.

Vos meis familiares, & mei & vestri memores estote. Comes CAROLVS (itâ semper se vocitavit) est bonorum amicus: ignavorum inimicus: militum pater: misericordis aut fucatæ gratiæ contemptor.

Quod majus est: IVSTVS esse volo, nec plus uni quam alteri condonare. Quod si brevi me intermori contingat: summa erit hæc mea felicitas, si tumulo fuerit inscriptum: IVSTITIAE AMATOR ET PATRONVS HIC EST SEPVLTVS.

Præter hæc quæ recensui admodum fuit laudabile, quod nihil iusserit frustrâ: quin subitò quemvis habuerit sibi obedientem.

Moris

MILITIA HVNGARA.

9

Moris est in Hungaria, ut manè cum ortu, & vesperi cum occasu Solis signum precibus trino tormentorum ictu detur: quò per castra intonante, universi & singuli in genua procumbentes, IESV, Iesu, Iesu, alta voce, vallo, aqua, sylvis resonantibus clamitarunt. Quod deinde ita sanctè observavit, ut etiam quousque visus duxit, quosvis DEO supplices fieri iussit: in obedientibus pœna adductis, ne aliquod militare opus inauspicato suscipiatur, ut verbo dicam; imperare didicit: Imperator belli fuit.

Præterea non postrema est militaris disciplinæ pars: quorumvis magistratum cognitione: in quibus à prima ætate fuit enutritus: quid præfectos: quid Centurionem: quid militem facere oportuit, omnia novit: per omnes militiæ gradus ad illud Imperij evectus, certò statuens, Illustres natalium ortus, qui sunt fortunæ, minimè cum arte militari commiscendos: militem fieri non nasci, & solis promeritis sustentari.

De laborum patientia longum esset dicere, quia nunquā otiosus, semper laboriosus fuit. Ante diem obivit tota castra, fossas, vigilias, gerras: post causas audivit: disceptavit, ubi rustico, militi, calonibus, lixis, liber fuit accessus.

Transivit rusticus quidam Hungarus, altero oculo tentorium dimidiuscule aspectans, vocavit subito ad se: Quid petis: satisne indemnisi? ablata vestimenta, boves, & id genus alia.

Benè habe, ait: non perdes, si est in ullius militis manu. Mox nuncij missi rapina repetita, domino restituta. Rusticus ad terram procumbens egit gratias: & pro vita diuturnitate longum vovit.

Multi præ lætitia: præ summo gaudio militaris disciplinæ: tandem miseri Patronum, & raptoribus flagellum venisse, lachrymas profuderunt: cœlum aspectantes, ne DEVS afflictos homines ista felicitate privaret.

C Audivi

Audivi ego s̄epiūs hanc vocem ab illo: se malle moni,
quā m permittere ut militis libidini afflcta rusticorum gens ex-
ponatur: se cum exercitu Cæsareo in solatium miseris, non de-
trimentum egenis advenisse: juvari non excoriari incolam o-
portere! O sancti viri anima, quę nunquam satis laudari, & lu-
geri potest: sed ait quis, non esse Christianum, levi de culpa ho-
minem jubere occidi. Colorata hæc vox non ponderosa est:
quod jure fit, justè fit.

Lex belli ut quævis alia, inobedientiam poena sacrata vin-
dicat: quo jure factō, minimè peccatur. Si ordine quis excedit,
tardiūs in hostem invehitur: fugam ex acie, mortis periculo
meditatur, licetē occidi potest. Quin etiam ob hæc & illa: quæ
militiæ moribus repugnant: Vidi ob furtum attritæ vestis ve-
teranum suspendi: & justè, quia non quantitas, sed genus deli-
cti est videndum.

ALEXANDER MAGNVS s̄epiūs ignavum mil-
item aliorum terrore interemit: Iustè, quia imperij mos jubet.
CAESAR Aquiliferum fugientem hasta transverberavit: Iu-
stè, quia perfidum punivit. Hic noster Heros juraverat s̄epiūs:
se omnes ad unum laqueo interempturum, qui dabo assaltui
signo, metu periculi ignaviter ab expugnatione oppidi Strygo-
niensis, retrocesserunt. Et sanè si fabulam pertexuisset, haud mi-
nus mille uno iētu assumptis ultima lux illuxisset. Incusasne tu?
Ego Deum jubere arbitror, quia rationis humanæ autor, que
juris gentium mater, ex qua leges belli ortæ. Qui volens se sub-
iicit iuri, etiam per se iniquè lato, noxæ reus est, si delinquit:
quantò magis, si lex optimæ rationi consona universo genti-
um assensu comprobatur.

Nosti ne illud de Manlio, qui filium ob rem sine man-
dato benè gestam securi percussit? æstimans nimirum: Satiūs
esse male cum ingenio, quām bene sine imperio bellum geri,
pro-

MILITIA HVNGARA.

II

Propterea quod fortunæ lusus facile despontam victoriam artis contemptu invertant.

Neque scio quid magis horrendum ex omnibus humanæ vitæ societatibus excogitari possit, quam armatorum hominū sine ferrea disciplina concursus. Hic hasta, alter sclopeto, tertius bipenni: omnes armati sub vexillo astant: hostis est in proiectu: nunc uni iam alteræ legioni aut cohorti procurendum: disputat hic, differit alter: Imperator jubet: illi renunciant, aliorum non sui esse muneris, statione relicta illuc transvolare: vicinos jure tangi: aliud sibi mandatum. Supervenit hostis: expandit alas: meditatur pugnam: nostri adhuc philosophantur: subito celeritate hostili vieti, salutem desperantes:

Pulverulenta fuga convertunt terra per agros.

O calamitatem. Sic regna, urbes, imò cœlum quoque ipsum, si bello defendendum, periret. Laudo Germaniæ urbes, præcipue Norinbergam quæ neminem apud se vivere permittit, nisi in tabulas ascriptus, civem se dato priùs juramento sit professus. In exercitu ne plus uni quam alteri permittendum: domestica dignitate belli Iura illudente? absit, officio cedunt personarum jura: necnulla belli est cum pace coniunctio: suis Respub. et suis quoque castra legibus utuntur: multis sanè parasangis inter se disiunctis.

Quod tantò vehementius tibi scribo, quantò acerbior mihi sit memoria præteriorum, quia obliuisci, non recordari mallem.

AEternum apud me, apud orbem vivit Mansfeldius Princeps, quod severus fuerit disciplinæ militaris observator: ex qua tot illustres illi victoriæ promanârunt, Sed cogitas, Christianæ pietati hæc adversari? absit: Belli jura sunt eadem hodiè quæ olim: nec illius gerendi alia est apud nos, quam apud pristinos ratio.

Est Imperator: est Præfctus equitum: sunt Legati: sunt reliqua ex gentium Martis templo, atque senatu faciali de prompta. In hominibus, in loco: in gestione saltem est diversitas, non toto statu, qui non secus, ac quævis universa, est perennis. Et novi, esse qui crudelem proscripti râunt: sed illi non secus, ac lippi de solis fulgore, iudicant de Martijs alumnis; bellorum in-expertissimi: virtutis quoque osores.

Rideo etiam qui nostro seculo putant: frustrâ pristinam militiæ severitatem exoptari: ob ævi corruptelam. Quin sola & maxima hæc causa esto? pauculine anni secula tollant? & semper quæ fuerint quæque necessariò fieri debent, singulorum vitijs cum publico in commodo ferantur? Nihilnè damnosè amissum recuperare licet? Si reviviscerent qui antè quadraginta saltem annos vixerunt milites, mirarentur legiones atque cohortes nostras. Adeò dissimilis est similitudo, & triumphi quoque rariores: quod sæpè Mansfeldius est vehementer conquestus, certo animo afferens: sine legionibus Germanis, severa & pristina lege belli destitutis, nullibi triumphatum iri.

Vndè omnia diligentius inquirens, vera esse comperi: Et maximarum rerum expectatione, virum dico Mansfeldium, quo neque Europa severiorem, neq; Germania fortiorem, neque Italia eloquentiorem, neque Hispania prudentiorem, neque Gallia humaniorem, neque ipsamet sui observans Hungaria animosiorem vidi. Severè noxios puniendo justus fuit, non crudelis: & fabulæ sunt, quisquis contrarium dicit.

Nunc venio ad virtutis ornamenta, quibus inter omnes alios eminentissimus effulgit. Scipio Africanus laudatur à Romanis, quòd liberalem faciem habuerit, summa teatam gravitate: qui decor Mansfeldianæ fuit humanitatis. Accessit miles: lixa, colonus, imò puer: audivit singulos: salutavit universos: militari colloquio Præfectos demulxit.

Vidi

MILITIA HVNGARA.

13

Vidi, cùm Hungari pedites (vulgò dicunt Heydones) illi
quatuor Turcas servos donarent, gratias egisse, redditis hac
conditione mancipijs, ut quantum ex venditis redigerent pre-
tij, à sé duplum expectarent. Mox poculo vini allato propina-
vit omnibus, hoc alloquio præmisso: Et regni, & vestro-
rum salutis causa veni: omniū amicus, qui pro Cæsarī & Chri-
stiani orbis incolmitate arma gestant. Natio vestra mihi &
curæ, & cordi, & voluptati est: nec vitæ periculo pertimescam,
quò minùs in me omnium salus hæreat suspensa.

Bellum geramus fortiter, animosè: Vos Hungari & du-
ces, & milites mihi fueritis, quia hostes nostis: vicinum sæpè
fugastis, laborum patientissimi estis. Quod per vos, toti for-
tissima Hungarorum nationi recipio: cui non secus, atque mi-
himet ipsi cordicitus benè volo.

Sic dicens: invitavit omnes ad mutua pocula, quibus
calefacti, pæana in totis castris personuerunt.

Hæc Mansfeldius mihi: hæc illi: ista omnibus coram di-
xit: nos vino honoravit. Nunquam isto melior fuit in Hun-
garia: nunquam post illum melior venturus: Hungarorum
Pater, non bello Imperator est: moriamur omnes pro ipsis in-
colmitate.

Iam venerant ad suas stationes: ubi dicta recensentes ac-
cenderunt commilitones habita alloquij invidia: cuius tegen-
dæ causa omnes vinum coriaceo potorio (dicunt Zsamach,
vulgare apud nos, & gladij vaginæ appendi solet) poscunt: utri-
cularios vocant: nunc ore, nunc saltatorio cursu in orbem ver-
sato, lætitiam magnis clamoribus testantur.

Mox unus surgens: pro Mansfeldij & Germani Principijs
(sua angusta lingua cum Cæsare illi eundem titulum dede-
runt) salute tantū vini ebibo: ebituri omnes, qui milites no-
biscum hic compotant: subito ad alterum: tu proximus esto.

Ille potorio admoto labris laboriosè babit: reliqui vo-

C 3 vent:

vent: cantant, saltant, donec primæ noctis excubiaæ ad quietem avocârunt.

Sub occasu enim Solis, dato precibus signo, veluti supra dixi: nemini lixarum vendere, aut militibus mercari licebat: capitis poena in venditorem constituta. Quod adeò sanctè observatum, ut neque centum aureis cochlear vini institores vendifissent, nisi forsan ægro alicui, aut extremè indigenti, venia prefectorum petita.

Ex quo vides, quām peritus fuerit in mentib. hominum sibi conciliandis: nec minori humanitate erga obedientes fuisse, quām severitate castigârit petulantes. Et me Christe Imperatores belli oportet hominum esse venatores: nosse muscipulas, quibus incognita ingenia capiantur. Quod evenit ex crebro alloquio: ex familiari communis status communicatione: ut nihil à se putet alienum, quod militem facere jubet.

Cæsarem culpat Cicero, quòd humanitate, congiarijs, e-pulis & donis populum Romanum sibi devinxerit. Pompeium verò superba dignitatis arrogantia inflatos militum animos à se alienasse. Vnde Mythrydates æternum celebratur, quod quemvis militum suorum nomine suo compellârit: quo Principe potentiorem hostem Roma non habuit, neque etiam fortioriem. Et crede mihi magno Reipubl. incommodo cessarunt nostro ævo Principum ad subditos suos perorationes: delegato in consiliarios imperandi munere.

Quod malum apud Germanos admodum est frequens: & subditus magistratum: & populus Regem: & servus Domini naturali cupiditate sitit nosse. Qui noverit? Alloquio: tumultuantes sedet? alloquio: inobedientes compescat? alloquio: belli subsidia in hostem liberaliter poscat? alloquio: Reipubl. parentis opinionem apud illos inducat? alloquio.

In castris verò Imperator semper vult conspicí, audiri, compel-

MILITIA HVNGARA.

15

compellari: Et si Martia est proles, se conspiciendum, audiendum, compellandum ultrò præbet.

Mansfeldius Princeps aperto papilione pransus, cœnatus, scriptitavit, dormivit: nullo etiam satellitio munitus, quia tota castra pro ipsius corporis defensione excubias agebant.

Quicunque accessit privatæ rei causa: noctes, dies, etiam pannosissimus colonorum: pauperimus fossorum: minimus puerorum subitò audiebatur.

Si timidiusculè quis à longinquo verecundâ facie oculos observabat: Ades amice, quid petis: mihi ne quod dicas, habes: dic liberè breviter, animosè. Dicentem subitò dimisit. Venerunt sæpè rustici Hungari cum munusculis: pane, Gallinis, cerasis, & id genus tuguriolorum suorum paupertatibus: quos de injuria militum querentes humaniter est solatus, se vivo nihil passuros: ablata restitutum, aut possessores capite minatum iri.

Hanc quoque vocem aliquoties ex ipso audivi: se afflitos colonos tantoperè à rapaci militis manu defensurum, ut mortuum sint inter sanctos relaturi. Quod non solum abundè impetravit, verùm quoque, si humano voto pristinis Ethnicorum moribus novi Dij constituerentur, iam dudum esset DEVS: benefactis suis apud Hungaram gentem IOVI par.

Nec scribere possum, quo desiderio ab illa reposcatur: Lazarus à Schvyvendy: Ioannes Ruber: clarissimi utrique Duces anteà sæpè nominabantur.

Nunc huius illustri fama sunt omnia solito minora: Solus Mansfeldius queritur, dicitur, cantatur, lugetur. Quicquid adversi evenit militibus, civi, rustico: sanè obiit Mansfeldius, aiunt: vastantur agri: abducuntur pecora: vacuantur ædes. Obiit Mansfeldius, clamitant, Hungarorum Pater.

Sed

MANSFELDIANA

Sed redeo ad omissos compellationum mores: qui & hamus, & catenæ sunt militum, si recte quis noverit uti. Et desipiunt omnes, qui belli Ducem ita tentorijs suis abdunt, ut instar Sacerdotis peccata hominum tacite cognoscentis, suadent delitescere, non progredi inter stationes militum: nomina sciscitari: diligentibus laudare: ignavos castigare: vigilias obire: simulata sepè ira noxiū vita aut verberibus castigare.

Romanorum aliquis fuit apud senatum accusatus, ob militem liberaliore licentia corruptum: Et Annibalis exercitui plus luxurię Capuanæ, quām cruentæ clades nocuerunt.

Vt verbo scribatur: In uno capite oportet belli Ducem " habere omnium militum sensus inclusos: hunc concionibus: " alterum alloquio: alios rigore: plurimos liberalitate coercendo. Quemadmodum hac laude Alexander Farnesius Parmæ Dux, Belgici tumultus militia æternum condecoratus, floruit, quem triumphali sacrati huius belli experimento, Mansfeldius noster longum visus est plurimis superare.

De prudentia: de magnanimitate, vis, dicam: Altero ceptę obsidionis die, 2. Iulij, ascendit in vineas arci propè adjacentes, visum loca, quibus hostem circumvallare, atque fossis ductis murum demoliri tormentis posset. Vix oculos converterat, iam cuique labori suum assignabat: hic primæ tormentorum stationes, ibi mœnia cuniculis evertenda: Principium obsidij esto ab Insula, quam latissimè perductis fossis secura statione militum præparabo: ex hoc ponte juncto oppidum expugnandum: viarum accessus testudine facta muniendi, quo defatigatis invicem integri succedant: ibi ex cymbis tabulatis novæ cohortes immittendæ: capta iam civitate illos qui sunt in arce cuniculis factis aggrediar: nec si à centum millibus defendetur, Cæsar is imperium evitabit.

Hæc & multa alia ex primo aspectu, quæ inter sunt etiam munitiones castrorum, quæ labore tridui illud ad fastigium, quo

quo semper fuere, sunt perductæ. Integrum Strygonium fuit septendecim aggeribus vallatum: quorum singuli copiosi militis atque tormentorum statione procurabantur. Ex uno aggere ducebantur fossæ transversæ ad alios: per quas tuto miles ultrò citroque commebat.

Mons fuit excelsus in conspectu castrorum, qua ortum spiciebant: quæ iter Budam versus attingit: periculosus nobis, atque hosti adventuro valde oportunus. Cogitavit Mansfeldius, hunc parte castrorum includere, sed magnitudo circuitus prohibebat. Satius est visum in summo fastigio terra cratibus injecta castellum ad viginti pedes altum erigere. Quod opus manus sua primus fossor incepit, ultimus peregit.

In medio erecta fuit altissima arbor, corbe superius alligata: cui excubitor nocte insidebat, aure captans auram, si ocularum prospectu tenebris offusis fallebatur. Hic est ille mons, quem miles Imperatori suo cognomine dixit **Carlsberg**: cuius præsidio dentibus infremuit hostis, quando sua castra nostris vix quatuor mille passibus iungebat. Et scribam tibi quod res est: Magni viri apud se admirabantur, quid hoc præsidio sibi vellet: Alij voluptate: alij pro militis exercitio extrui aiebant: multi novum Strygonium augurabantur. Sed exitus prudenteriam militarem declaravit: cuius unica est portio, ut non solum quis videret, quid sibi agendum, sed etiam quo minus faciliter agat, quæ contraria hostis studia esse possint. Nisi enim hic Carolinus mons obstitisset: Turcæ illo præoccupato, nos tormentorum iunctibus ex castris in Danubij fluenta, vel obsidione soluta ad necessitatē pugnæ in campum præcipitassent. Que duo ut quævis alia extrema, Reipublicæ calamitatem matabant.

Ex hac iam providentia oritur magnanimitas, quæ tanta in ipso fuit, quanta unquam in viro maxima esse possit. A principio castrorum solitus est dicere: sibi nihil esse gratius, quam

D ut tri-

MANSFELDIANA

ut triduum sibi Turcæ, otium ad castra munienda relinquant.
Postea neque centum myriadibus ex metu cessurum.

Octavo Iulij venit Budâ Caralibegus Strygoniensis cum
octingentis Turcis, quem errore quorundam exigua militum
nostrorum manus cis Danubium infeliciter pugnando frustrâ
prohibuit: quò minus licet clade acceptain principijs atque o-
mnium nostrorum conspectu Coccarum ingrederetur.
Quo eventu, Esto ait Mansfeldius, quotquot Turcarum habeat
Hungaria in arce inveniri: vel omnes mori vel educere præsidio
illam tradere cogam.

Nonnullam cladem passus est miles noster, plurima parte
vulneribus confecta in oppido expugnando: quam melioris
cepti spe solatus est ipsem: nihil air, haec mordent me; quia
boni militis officium hostis facit. At maiore arcis propugna-
culo cuniculis conciso evincam apud illos: non qui manu-
promptus, sed qui astu hostis ingenia eludit, veram militis ar-
tem nosse. Invidebo illis gladios nostros, ut in aëre moriantur.

Hæc silere non possum. Fuit in Insula hoc tempore dans
tuba signum militibus, nihil abfore credens, quò minus op-
pido re optimè disposita potirentur: spes Ducem, non Dux mi-
litem defituit. Re infecta reversi plerique optimis virorum
cupiditate expugnationis desideratis: quo eventu visus est la-
chrymari (proximus astiti.) Heros ille ac nullo ferè verbo fa-
cto, est carpento domum revectus: coenans sub sacri voti reli-
gione dixit: Ita ne sumus Germani, ut sacramenti lege post-
habita, metu belli mortis pericula, & in acie, & in assaltu evi-
temus. Non sic: moriantur omnes iure belli, non mea cru-
dilitate.

Brevi dies ille illucebit, quo Germanæ militiae in ignavos
exemplum ad stuporem mundi, & hostilis & amici edetur: de-
fensu à summo capite ad imos pedes, h. e. à ducibus ad milites:

MILITIA HVNGARA.

19

ut perfet, non licere militi deserere Duces, neque Ducibus iusfa Imperatoris sui ignorare. Ut quisque fuerit collocatus, eo in loco & vivum hostilia persequi, & moriturum experiri decet. Sin verò aliud hic moris est; quid Iura belli: quid sacramentum juvabit? Esto igitur, & morte vindicabo, qui ignaviter effugerunt.

Hec ille: quæ longo filo fuissest justè persecutus, si ad paucos dies diuturniorem illi vitam fata concessissent. Hostis enim quotidiè nos fatigavit, dum paulò post ad internacionem cæsus, acceptum triumphum optimi Ducis morte ychementer conspurcavit. Sequuntur jam alia,

XXIX. Iulij, media nocte inauditus clamor in castris confuso autore est exortus: cœlo desuper nymbis intonante: qui tantò vehementius quevis percellebant, quantò magis prodita hostium exercitus suspicione, omnes relicta statione discurrentes horrebant.

Non luna, non stellæ viam regebant: sed extremis tenebris omnia erant mortali auxilio destituta, plūs quàm vices sanctum IESV nomen ex more totis castris personabat. Mansfeldius intra castrorum munitiones discurrere: quemvis ad arma hortari: pedites suprà vallum: equites verò inter, distinctis turmis ordinare: Hungari horrendum clamitare: Germanus Vallones voce comitari: clamores in universis papilionibus audiebantur, quodque ille ait,

Luctus ubiq^z, pavor & plurima mortis imago.

Tu non credis: neque centum calamis describere possum, quàm miserabiliter tumultu omnia erant, totis castris confusa. Nostri, quid panicus sit terror: Sed quisquis ille fuerit, hoc nostro maiorem fuisse non puto. Ego paulò ante fui à Mansfeldio reversus: nondum humi (quæ lectulum & strata mihi semper dat in castris) recumbens, somno deditus: recurri subito ad eundem: misit me cum mandato ad D 2 pontis

MANSFELDIANA

pontis excubidores, ne sub poena mortis quenquam hominum (excepto foeminarum atq; puerorum imbellium genere) trāsire paterentur.

In redditu occurrit mihi ex lixarum genere aliquis, vestimenta sua sub brachio gestans, cui ego cum gladio evaginato: Quid fugis tu foemina? revertere aut morieris. At ille lachrymabundus, tremulus: Turca me tuguriolo meo eiecit, vix duriter vapulans aufugi. Ego tacitè ridens continui verbera, quæ illi eram minatus.

Turcæ in Strygonio rati nos toto exercitu ad arcis expugnationem maturare: nihil non studij ad defensionem sunt experti: pyrios saccos, & quicquid ignium militiæ usus obtulit, proiecerunt, vel quod accursantes repellere, aut lumine facto quid rerum geratur videre possint. Ecce Tragicomœdiam atque plagosum Amphytrionem Plautinum.

Hisce Panicis clamoribus duæ iam abierant horæ, quando ex magna DEI benignitate luna tetricis tenebris ademptis, tota castra, splendentibus radijs circumfudit: vicinum iungens vicino, & Christicolis à Turca invicem distinctis quisq; ad tentorium reversus errore cognito quievit: tanto ubivis silentio super humanam opinionem exorto, ut in ipso momento, neque ullius animalis vox sit audita.

Ex quo iam tibi iudicandum relinquo, quid de nobis omnibus fuisset factum, si CAROLVS noster militari obsequio destitutus, parumper de sua magnanimitate remisisset: Sanè Danubius maximam haufisset partem, quia ipsimet coeli hunc panicum terrorem horrebant: O tu magne Princeps, quî te nobis fata inviderunt? Apud Romanos soliti erant milites ob servatam legionem vel cohortem statua erecta honorare Duces suos? Quis tibi honor ob servatum exercitum: satis magnus esse potest?

Aliud

MILITIA HVNGARA.

21

Aliud iam DOMINE tibi recensabo magnanimitatis exemplum.

Secundo Augusti castra sua metabantur apud nos Turcarum 24000. quorum prima acies tanto ferocius vallo castorum proximo accessit, quanto plus aliqui ex velitarijs nostris vulnere accepto refugiebant. Princeps sine mora signum tuba dare iussit: equitatus per portam educitur: peditatu ad defensionem valli, atque castrorum reliquo. Primæ Hungarorum aciei prævit præclarissimæ nobilitatis Baro Nicolaus Palfy: & pacis & belli studio illustris. Alteram ex duodecim turmis equitum à dextris collocatam, duxit:

CAROLVS Marchio Burgovius, ad maxima quæque natus Princeps, sola ætate Mansfeldio in fortissimi ducis munere posterior: à quo etiam maximo in pretio est habitus semper unicus & solus ferè consiliorum factiq; Comes.

In tertia acie fuit ipsemet CAROLVS Mansfeldianus, nunc hac, nunc illac obequitans: solo humerali, non thorace aheneo munitus.

Præmiserat hostis quatuor millia equitum, qui pugnam ludendo velites nostros in campum protraherent: ut alij more suo ad latus obambulantes includerent medios: quos defensuri vel plenis signis progredi vel in conspectu mactatos aspicere oportuisset.

Cognovit astum Mansfeldianus: atque nuncio missō imperavit severè omnibus: ne quis iniussus extra ordinem pugnaret, vel pugnans longius evageretur. Quod mandatum neglexerunt aliqui: atque Turcis permisi, temeritatis pœnam lucent: tria signa & ducenti Equites desiderati. Quo successu hostis luxurians, totis viribus pugnam est meditatus: cuius declinanda causa retròcesserunt nostri: voluntarijs extra orbem reliktis, qui Turcas tumultuaria velitatione distinserent (quo lusus famulus mihi à Tartaro captus) donec ex iniquo pugnæ lo-

MANSFELDIANA

co in commodiorem delati , signa converteremus. Interim Mansfeldius noster quævis boni Duci munia impigrè obiens, inter paludes , castrorum vallo vicinas consistere equitatum iussit; ipse avolans, quicquid virorum fuit in castris, inter milites est partitus, ut supra vallum collocati magnæ multitudinis speciem hosti præberent.

Eodem momento quatuor tormenta fuerunt advecta, quibus ad latus hostium explosis, rariori turma fugientium similes vagabantur. Carolinum castrum prætervecti, per Vngarorum stationes irrumpere, aut saltē istam castrorum partem adoriri moliebantur.

Quem dolum ego cum alijs in prælio sentiēs, fortè obviam habui Dynastem de Tilly, supremum præfectum vigilum, præclaræ inter Belgas nobilitatis : magnæ civilis ac militaris prudenter virum , cui paucis quid suspicer indicavi, monens simul ut maiori subsidiario milite ista castrorum pars defenderetur. Quod è vestigio non minori felicitate quam utilitate omnium peregit. Interim dispersi equties se rursus collegerant: acceptā cladem nobili facinore compensaturi: quos Princeps crepusculō iam monente ad maiora servandos in castra reduxit: ubi collige tu? quid sensuum Dux noster in ancipiti periculorum casu habuerit? timidum ne quis putet? minimè. Ter plenis signis est progreslus, totiesque substitit sancto IESV nomine invocato: mox ad se, ad circumstantes: veni, ut Strygonium expugnarem, quo feliciter confecto, meditabor pugnam pro mea non hostis voluntate.

Qua de causa, morem illi gerere nolo, ut commoditate valli nostri cum iniuitate loci mutata, in prælia descendam: castra mihi sunt civitas, arx munitissima & Asylum, quæ si velit adoriri, defendemus, dum sanguis suppetat vitam. Crede mihi rumpentur ossa manusque: Et si essent illorum decies centena millia: mori malo, quam ex metu obsidione soluta relinquerem

quere ceptum. CAROLVS sum Mansfeldius, qui nunquam hosti meo ignaviter cessi. Hæc dicens: ferventem militem placavit, qui apud se philosophabantur, hanc iustæ pugnæ declinationem ex timore ortam.

Scio etiam esse apud nos, & ubi vis gentium, qui re optimè gesta semper quid maius desiderant: tuta consiliorum declamatione in cuiusvis Ducis invidiam mota.

Verùm illi nesciunt, quanta omnium rerum sit difficultas, rationis arbitrio unū in Turcam non millia converso. Quid enim Mauritius Saxo, insignis consiliorum occultator? ultra montes istos etiam sunt homines: Turcæ viri sunt, non fæmine: duabus manibus armati: optimis armis ornati: quis, cum negotium habens, blandè fortunam osculari, non præcipitare debet: Quisquis enim fuerit, qui quavis occasione arma priùs quam rationem expedit: egregium putans quotidianis velitationibus vulgi aures adimplere: nimirùm aut ingenio hebes Ducis munia ignorat, vel sui & suorum perniciem petulanter maturat. Exempla queris? multa novi, quodque ille ait:

— — — Non memini latorve laborum.

Quod dolens addo, quia certus sum, esse loquaci hoc seculo in popinis, in culinis, in commessionibus, qui exercitus ducunt in Hungariam: ibi castra locant, circumvallant: fumo laurinum, armis Budam expugnant: Tatam insidijs, & Papiam militis manipulo, facilius ac loquantur, habent capta. Nihil militare, nisi quod ipsi philosophantur, imò ineptè fantur. Timuisse hostem, aiunt, Mansfeldium, quia non debellavit cùm posset. O ignava corda, quæ stupidi adhuc sensuum judicio despiciunt: providus non timidus fuit: omnia prudenter non temere juvenili ausu luxurians incepit, moliebatur, confecit. Vidi litteras Henrici IIII. regis Galliarum, adhuc superstitis: in quibus hunc Mansfeldium, apud præcipuum Germaniæ Principē hoc elogio commendat, Carolum Mansfeldium metuo, quia prudens & expertus, & quia penetrat. Nonne satis ab hoste?

Hinc

MANSFELDIANA

Hinc magnanimum prædico, & talis fuit verè. Illi momi linguam cohibento, ac nisi benè laverint, sepulturam demortui ne attingant cavento. Verùm quis omnium fuit huc usque in Hungaria Ducum, qui vulgi ore non fuerit arrosus? nomina-bo neminem quia longum. Vulgare hoc est, quod audio in trivijs de serenissimis Archiducibus, qui omnibus alijs singula-ri prudentia, duritie laborum, & quibusvis Alexandrini genij virtutibus præcellant. Convivantur Magnates, cives, coloni: perpetuus est de non gestis apud illos sermo: neque aliud nisi hoc cibi ac potus condimentum habent.

Recordaberis: quid ego apud te ad illa: quām sēpē sim graviter stomachatus, quia olfeci, neque alibi locorum eiusmodi coriaceos ac magniloquos bellatores deesse. Quī non irascar, sine merito suo generosissimi animi Principes, per compita, per plateas, ab ineptissimis hominum ad Arcopagit-
rum senatum ab ingrato populo Athenensi toties vocari? ne-
sciunt sanè illi omnes, quām grave onus Imperator belli susti-
neat, uno commodo mille incommodis compensato: quod
tibi expertæ prudentiæ viro judicandum relinquo: unum ex
Comico istis fabulatoribus rependens:

Tu si hic es, aliter dices.

Ego à tribus hisce annis, dum bellum geritur (& anteā me Hungaria quadriennium aluit) interfui omnibus rebus præci-
piè: diligens & mei, & aliorum officiorum ratiocinator. At me Christe attonitus hæreo, quoties ista & ista in optimos & ma-
gnanimos Principes ab ingrata turba effundi audio.

Est quidam ex antiquis scriptoribus, qui unum hoc inter alia præclara scriptum reliquit: Deos odisse illos, qui de bonis Principibus malè opinantur. Hi Archiduces nostri Imperatorum sunt nepotes, Imperatoris filij: Imperatoris fratres: quòd omnibus non satisfecerint, nihil est mirum, quia, ut in-
geniosus Poëta cantat? - - - - -

Cundis

Nec

MILITIA HVNGARA.

23

Nec Deus omnipotens rite placere potest.

Sufficit hoc in mundo ita quemvis agere, ut nunquam illi facti sui ratio in prudentium judicio desit. Vulgi vox est pro die, sed prudentiorem pro ævo: addo etiam si ad posteros disseminatur, pro immortalitate.

Quod obiter pro vulgi contrarijs studijs adieci, cuius morus procul habui semper.

Nunc revertar ad alia Mansfeldianæ magnanimitatis documenta.

Totos novem dies fuit noctes diesque tumultuaris hostium armis nexatus: ter saepius in die exercitu in campos educto: si forsitan barbaricam feritatem gravi, eoque compendioso prælio reprimere posset: Sapè fortuna favit, saepius quoque invidit, solis velitationibus contenta, in quibus semper superior, semel ut dixi, inferior fuit. Quo unico eventu Turca nesciatus, toto exercitu rediit: postridiè h. c. quarto die Aug. circa undecimam horam pomeridianam copijs suis in quinque turmas hac ratione divisis.

Bassa Iaurinensis (heu quam ferit vox ista, ob loci religionem fædissimè contaminatam, cuius clavis tu mecum Sinistra passus, cum affectu memineris.) Osman cum octies mille tripli- ci ordine socio ductu Tatensis: at Papiensis Begorum distinctis, prætervectus est proximè castra nostra subtus vinea, oppidum ut vocant Rassorum attingentia, ex quibus tormentorū tonitru mediæ turmæ frustis hominum in aëra eiusdem transverberatae. Quarta hostium acies non minore, fuit à Mehemet Beglerbego Vetuli illius Sinani filio, per excelsos vinearum campos aducta. Et Quinque æquè numerosa à Mehemeto gubernatore sive Bassa minoris Asia, quam hodiè sua lingua dicunt Natoliā.

Vt verò Beglerbegus hoc suum studium tegeret ob ortu solis usq; ad meridiem fatigavit, nos qualicunq; Tartarorū manus, quib. obiecit Mansfeldius equitum voluntariorum agmina:

E specta-

spectator ipse met, dum prandij tempus famelicum revocabat.
 Assidebat iam mensæ; iam iam pransurus, quando à Carolino
 præsidio audiebatur signum, quod nunquam nisi hoste viso e-
 debatur surrexit ilicò: equum depositum, queritans ubi loco-
 rum pristini Prædones hærerent. Vix egrediens papilione vidit
 totos campos, vineas, montes, versiculoribus hastis, volantib.
 signis, ut verbo dicam, gliscientibus armis undiquaque horrere.
 Tum verbulo: Sanè optati convivæ ad prandium sunt: armi-
 geri date arma: hodiè in castris hostium epulabor, quia video
 " humanis sensibus destitutos, conari perrumpere septendecim
 " obsidij munitiones, qui conatus illis infeliciter cedet: quod
 medium inter summa, & præcipua quærent, hic est nul-
 lum.

Quibus verbis equo insidens ad ultimam castrorum por-
 tam cum exiguo comitatu pervenit: In totis campi stationibus
 clangor tubarum, bombi tympanarum resonabant: undique
 homines instar Cycadarum se pugnæ studio fatigabant, nec sc-
 cus ac si ex populo sa quadam urbe gens ad lupos circum circa
 occidendos effunderetur.

Primum emissæ est fortissima legio, præstantissimo Duce
 digna Iacobo Annibale à Retenavv: antiqua nobilitate illustri,
 quam à lœva Burgundi pedites, & hos Hungari, quos deinde
 quicquid equitum, & levis & gravis armaturæ fuit, insequeba-
 tur: illi oppido Rassorum proximi consistere: Hi quadrato ag-
 mine latis camporum spatijs obversi hostium latera obser-
 vabant.

Mansfeldius instar leonis cunctos ordines obequitans
 graviter edicit, ne quis injussus prosiliat: pugnæ signum à se da-
 tum iri omnibus: unum hoc tempus esse prædicans, quo omni-
 um dimicationum fructus percipiendi: quoque plurimum
 christianitati intersit: arte, non errore pugnatum: & stare a-
 pud se, quibus septendecim munitionibus Strygonium circu-
 vallari,

MILITIA HVNGARA.

27

vallerit; defendere omnes: quacunque castrorum parte hostis expugnare illas velit. Hoc dicto iussit me plenis equi habenis avolare ad Baronem Adolphum Schwarzenburgium præclaræ nobilitatis ac fortitudinis virum: qui ex altera vinearum parte, quo subitus arce Danubium aspiciunt, erat cum bis mille caphractis Belgis, quibus imperitabat constitutus, ut tali præsidio ab omni accessu hostem prohiberet.

Quo mandato exposito renunciavit Mansfeldio per me: non se officio suo defuturum, quantecunque fuerint Barbarorum catervæ.

Hic scire oportet inferius arcem, esse templum trecentis passibus ab illa dissitum divo Georgio sacrum, ex quo tota adiacens planities, à nostris Georgiana appellatur: hic duobus aggeribus vallo ac milite comminutis, fuit Danubius inclusus: ex quarum altera transversa, fossa usque ad vineas perducta novæ munitioni adhærens impediebat, quò minus aperto gradu quis absque magna vi ac periculo perrumpere ad oppidum posset: in cuius proximitate novi etiam Palfiani aggeres necessario milite defendebantur: sicut etiam mons divi Thomæ arciproximus, ex quo magnanimus Iohannes Medices cum octo cohortibus, atque machynarum pilis magna strage plurimis catervatim proterebat.

His ita ut dixi dispositis redij ad Mansfeldium: atque iam ex cavernosa via, qua ex campo Georgiano in castra descenditur, prospectans, habui Oman Bassam mihi proximè ob vium primaturma iam copias nostras prætervectum: & metu periculi non statueram reverti nisi, oppidum mihi securitatem præstisset: cuius tamen tutela non fuit diuturna: quod videram plurimos esse, qui effusis habenis me insequerentur: Vnde subdidi calcaria equo, atque

MANSFELDIANA

per altissima montium fugatus per veni ad munitionem, quæ
suprema fuit in summitate: cuius præsidiarij legionis Terschya-
næ milites unius iudicij admoniti, me intra vallum recepe-
runt.

Ex hoc iam loco circum & prospiciens, vidi omnibus in
locis simul pugnari, non quidem ut signa ubique conferrent
signis. Verum munitionibus perfractis subsidiario milite ob-
fessas iuvarent: qui solus tantorum laborum apud hostem fuit
finis.

Osman laborabat sibi viam aperire, qua munitiones Tho-
mariæ ac subitus, aliæ portam oppidi atque arcis fortiter oc-
cludebant, certus nisi per rumpantur de omni salute desperan-
dum.

Nostrí verò si obtinuerint, finem laborum expectari:
,, eos aruere cotem: militum virtus prælio illuscessit. Vidi plu-
,, rimos Turcarum qui odio periculi, oculis clausis, atque in-
clynato pectore in Ephippij conam loca prærupta ex ascensu
tentantes, pilorum multitudine confixi occubuerunt.

Tres erant illi turmæ, in quos ex Thomano vallø, instar
grandinis maxima pila confertim conijciebantur: illustrissimo
Iohanne Medico, ut dixi, procuratore: cuius præclara virtus co-
die super alios emicuit: nullo non tempore à pastoris commen-
danda.

At videns hic Bassa propter magnitudinem munitionū,
quosvis conatus esse irritos, aliud, sed temerarium ingreditur,
ex suasu Tatensis Begi concilium à necessitate, ut quævis alia
expressum. Memini anteà viæ alicuius, ob longum usum eve-
cta terra cavernosæ: vix quatuor equis junctim commodæ; per
quam copias suas ducere, atque cum reliquis Asiæ & Græciæ
Beglerbegis: in prato Georgiano pugnantibus se coniungere
statuebat.

Quia in valle cum multis alijs sclopeto confossus interiit:
è vesti-

MILITIA HVNGARA.

29

è vestigijs instituto itinere posthabito per præruptos vincarum colles reliqui diffugerant.

Quo viso nicens clamor totis campis nostris atque munitionibus exoritur: atque Mansfeldius, huiusque tota acie sine aperto prælio ad quasvis necessitates reservata, consilio ex re sumpto, Hungaros cum octo aliis equitum Germanorum inse qui iussit: quibus post tergum ab hoste visis instar caprarum per altissima iuga montium vix ac ne vix anhelantibus equis se subduxerunt, plurimis ex posteriorum caterva, sicuti etiam tringinta octo campestribus ut dixi tormentis, qua in declivi oppida vicina collocârant desideratis.

Non minus utrius Beglerbegi apud Schyvartzenbergicos VValones equites atque alia castrorum præsidia laborabant. Et Græcus quidam tardo passu illi appropinquavit vallo, intra quod ego ut recensui compellebar: cuius milites ex boni viri præcepto se penitus inclinato capitè humi continebant, quò nudati præsidij opinione inductum, si tutò accedet, faciliùs opprimere possent. Quo astu absque metu ullius periculi elusis processit; quando nos subitò supra vallum instructis ordinibus collocati eminus sclopeto & cominus gladiis reis animosè gessimus: fugientem infecuti.

Redeunte verò illo ad pugnam, paucitate nostrorum cō tempta, recurrimus intra vallum, cuius Asylo tuti, plurimùm superbo ausu luxuriabamus.

Ex quo illi errabundo evenit ut vehementer sit cum universo milite periclitatus: accepto vulnere in tetgo & armigero capto: quem serico vestitum aurea Domini insignia prode bant.

Graviora passus est Beglerbegi Asiae exercitus, cui Adolphus Schyvarzenburgius, ut vocant bis mille VValonibus extra munitiones in planicie campi Georgiani occurrit: In decem agmina ducentorum equitum suos ordinarat. Centum

E. 3. cata-

MANSFELDIANA

cataphractis toridem levis armaturæ sclopetarijs equitibus instar alarum appensis, & illi quidem ab hisce primum dispositis tegebantur.

Hi enervatis pilis in gyrum conversi cataphractos nudabant: qui prælio excepto præbent rursus facultatem reliquis ad pugnam refectis armis revertendi.

Quo alterno atque verò militari pugnandi genere efficiunt, ut nunquam ordines laxentur, semper defatigatis invicem integri succedant.

Videns itaque hostis exigua illorum agmina conversis hastis audacter magno, ut moris est ululatu irruunt: Velites sclopetarij paululum procurendo atque explosis bombardis in cōbito excedentes locum dedere cataphractis, qui confortissima caterva investi, partim bipennibus, partim sclopetis sanguinoso prato corpora demetebant.

Bis repulsi: bis etiam reversi: atque instar lupi ad caulas ovium varios aditus quærebant, si quem armata vi, & ad arcem perrumpere possent.

Beglerbegus verò alter hæc omnia superius ex vineis vidit, cuius hic Asiaticus longo visu admonitus statim se cùm illo coniungere, fuga per excelsa montium (Danubium sinister habuit) arrepta: quos catervatim sparsos horribili fragore insequebantur, ænæ machinæ in tribus proximis gerris collocatae, ut mirum fuerit, nova spe ad alia suscitari.

Duo hic munitiones fuere ducentis passibus inter se disiuncti: quas intermedias solùm perrumpendi, & nullibi alia humana caue multum periculosa erat.

Perruperunt utrique, cum duodecim millibus equitum: Atque in Palfianæ munitionis extrema pericula inciderunt: ubi angustia loci & fossarum multitudine agili equorum usu privati:

MILITIA HVNGARA.

31

privati: peditibus nostris ad illud præsidij collocatis præda fuere. Proximus est Danubius, in quem plerique mortis metu coniecti partim submersi, partim retrò per aperta pericula incertam salutem quæsierunt.

Ipse Mehemetus Asiae domitor sive Bassa videns, maiori discrimine sibi excendum quam licet maximo penetrarit; cum ducentis alijs est intra oppidum receptus, atque inde in arcem: ubi dum Serenissimo Archiduci dederetur præcipuus rector permanxit: de cuius statura, & moribus paulo post.

Si hoste omni aditu excluso, præcipua spes illorum fuit in fuga, quam repetita via celerarunt, Beglerbego Græciæ multum præcurrente: & qui evasere, cum vident totos campos atque montes venationibus sui ardere: palantes fugiunt: nostri ex castris effusi insistere, ut de locis superioribus & declivibus & connexis conspicerentur. Illi (quod valde mirum & supremæ necessitatis iudicium) ex fuga collecti substitere quartum, in pratis Georgianis, Ultimam confertis turmis fortè experturi; quibus ut ante à fronte VVallones, Germani, legato Burgovio Marchione à latere cum Hungaris ingenti utrinque clamore per declivia montium occurrabant. Hostes terga vertunt: fugientibus instant equites: aliae cohortes appropinquant. Pilis emissis atque gladio rem gerunt: fit magna cædes: cadaveribus ad decem millia passuum disseminatis.

Et pauci extanto numero effugissent, nisi proximæ sylvæ per arva & arbusta super ingentia montium cacumina dilapsos defendissent.

Quinque millia cæsi: quos inter Osman Bassa, ut dixi, laurinensis cum sex Begis: Præfectorum pauci incolumes permansere, quia reliquis exemplo primi antè omnes ardentissime pugnarunt.

Et

MANSFELDIANA

Et plerunque accidit in cruentis prælijs optimos viorum desiderari: præcipue si ordinibus instructis arma convertantur.

Interceptas literas vidi, quas Koppanensis Begus post conflictum uxori sue scripsit? Mea anima, sunt tristitia que scribo, sed tamen vera: & scribo ut tuam felicitatem cum meo infortunio compenses.

Cum paganis (ita sonat Giaur Turcicum, quo Christianos appellant) acre habuimus prælium: & vieti: ac si omnipotens Deus de super nos fulmine taetos examinasset.

Tantus fuit nostrorum terror, ut nunquam maior esse potuerit: Ego pedes effugi: biduum observans inter montes, donec Budam reversus.

Neque iam adhuc compossum mentis: sola memoria infortunij nostri perculsus. Et quoties memini actorum, manus atque pedes tremo: visus nempè oculos horrendo aspectu, atque aures fulmine canum istorum Germanorum obtundi, quos justè nigros diabulos appellavero: sed tuæ præces me servarunt, & servant etiamnum, quia inops mentis vigor: te rogo, ut avemnam mittas: cuius habenda ratio hic est nulla. Et Bassa noster vult denuò fortunam contra infideles experiri. Quæ causa est cur domum non revertar; neque scio, num & quando reverurus. Adeò iratus DEVS fideles suos maxima calamitate premit. Vale.

Beglerbegus verò, vt falsis literis anteverteret pennatam famam loquacibus alis; ablegavit ilicò novem ex suis familiarib. ad Sinanum Patrem, id temporis in Moldavia cum exercitu suo æquè passiuro harentem: qui penes Mohatzium (Ludovicis Regis funestissimo interitum. Anno XXVI. nobilitatum) ab Hungaris exploratoribus intercepti: abiecerant istos literarum sacculos (pro sigilli munimento insuunt Turcæ literas suas panniculis, & Sultani præcipue aureis) in proximam vallem: At

At illi occultandi omen acceptantes retulerunt loculos, ex quibus Beglerbegi epistola deprompta ita se habuit.

Pater, gaudebis mecum, quia cum novo duce Germano alterum pedem argenteum habente, (hoc illi cognominis ex altero vitorio crure incliderunt) instruta acie viator pugnavi, illo ut nostri aiunt, cæso vel certè graviter vulnerato.

Non credis, quanto astu copias suas distribuerit, strygno varijs aggeribus undiquaque circumvallato. Verum Deus adfuit militi, ac virtuti nostræ, ut quamvis non castris plurimis tamen belli machinis fuerint exuti, quemadmodum nūc mei copiosius exponent, quibus fidem certò habe. At cura, ut novo milite juver, quia tam copiosa hostium sunt castra, ut credam nullo unquam tempore contra nos fuisse maiora: Et quotidiè novis copijs augentur: quod persuadet mihi totum Christianitatis orbem in ruinam nostri conspirasse. Nam cognovimus quinquaginta millia Italorum esse in procinctu: quibus cladem acceptam resarcire, ac fratribus nostris periculose obcessis terrori esse possunt. Audita enim tormentorum tonitrua hic Budæ sentio, quibus non solùm populus, sed etiam miles noster propioris periculi metu summoperè commovetur. Vale ac Deum pro nobis ora.

Scriptæ erant hæ literæ iuxta compitum nostrum 6. August. cordicitus risi, veritatem facti meretricijs verbis occultari. Ego illi talem triumphum non invideo, sed miror magis istam gentem nullis cladibus fatigari: semper vult vincere, nō vinci: plus subsidij in dolosis armis, quam vera virtute habens collocatum.

Signa militaria viginti septem ad Mansfeldium relata, quæ postero die in Thomanovallo spectatum obcessis præbita Pragam, sunt per illustrem juvenem Henricum Chalonium ex vetusta Principum Auraicorum nobilitate Caroli huius Mansfeldij ex sorore nepotem ad Cæsar. Augustum remissa. Iam su-

F pererant

pererant castra hostium, in quibus diripiendis, non una ducum
fuit opinio. Erant, qui tam nobilem victoriam absque direpti-
one castorum dicerent imperfectam: alij fortunæ mensuracon-
tent, maius periculi aspernabantur, quod satius esse putent,
hostis sanguine satiatos, partæ victoriae triumphum duriori ca-
strorum exitu commaculari: nunquam divites fore, qui nimis
sum petant: & suis quoque si nis habendi esto.

Hæc inter fluctuavit Mansfeldius? diripienda nè castra
militie, vel ob præsidij relicti metum relinquant intacta, incer-
tus.

Accessit Marchio Burgovius, & hærentem gravi alloquio
confirmavit: vacua esse defensorum, & qui relicti, nullam vim
ob reliquos cæsos expectare. Illam esse devicti exercitus condi-
tionem, ut quicquid rerum post se trahant, victorum præmia
in medio relinquuntur. Hostem mille vijs per avia saltuum ef-
fugisse: nihil periculi abs sociatis impendi: incolumitatem vi-
tae, non papilio illis curæ. Quod si aliud per exploratores
cognitum: partiatur secum illas curas, qui cunctis audientibus
se offerat cum pauculo equitatu omnia prius explorare, quam
unius hominis manus periclitetur.

Quibus, & alijs rationibus obtinuit castra diripienda præ-
cessit primus subitè: millia carrorum, lixarum, calonium inse-
quebantur: omnia in lucro, nihil in pretio fuit.

Beglerbegi papilio cessit Mansfeldio, cuius elabora-
tum opus decem millibus talerorum æstimabatur: Tela fuit
Bombicea, colore arquato, forma sicuti omnium ro-
tunda.

Duæ januæ patebant: una alteri recto introitu obversa.
Intrinsecus omnia erant auro, varijs operibus intertexa: quæ
ductuum figura literas Turcas exprimebant, quæ inter medi-
us serici nitor fuit insignis: quod extremis oris Attalica in pul-
cherri-

MILITIA HVNGARA.

35

cherrimos anfractus diducta ambiebat. Insuper suos habuit parietes medijs lignis certo spatio telæ insutis, quæ terræ infixa, quamvis stationem firmabant: præter hęc ne ulla pluviosa tempestate madeficeret; pallium superius super inductum, quod extremas ambitus oras adæquans: atque in declive pariter descendens, aquam collectam per stlicidia instar canalis in terram demittebat.

In hoc tentorio inventa etiam sunt venustissima tapeta, sicuti etiamnum quadraginta pretiosissimæ patinæ, quas vulgo dicunt, procellanas, & certa virtus illorum est: quod veneno attactæ in mille partes sese diffindunt, Verum ab ignaro milite partim ruptæ, partim triobulari pretio venditæ, ut nulla ferè ad Mansfeldij manus integra pervenerit.

Ego septem habui, præstantissimas, & Maiori canas credens commutavi. nunc bis centum aureis vellem redimere, sed frustrà mortales præteriorum memoria dolent. Militare forum, & nundinæ sunt plenæ umbrarum, quia ex rerum multitudine subito quis optimum melioris spe fastidit: incerto certum vendens, similis illi, quem dicunt, ignem è longinquo attulisse, ut aviculas in sylva circumvolitantes afferet. Omnia regunt oculi: nunc quis onerat sese vestimentis, mox aliud aspectans, prima suburræ osor, illud apprehendit: donec sæpè vacuus, ant mera scrutinia miserè baiulans revertatur.

Si quærat quis de numero papilionum sanè incertus & benè magnus est. Hac enim hora quævis militum stationes in omnibus castrorum partibus instar oppidi Castrensis tentiorum casis albescere videmus.

Plurimi decem millia, & eò plus arbitrantur: quadragesimi Cameli, & totidem ferè muli adducti: sexaginta etiam capita ante Beglerbegi tentorium reperta: quæ

F 2 inter

inter Iohannis Recchini & Brandensteinij Hipparchorum nobilitate Francica oriundorum noscebantur: qui cum pridiè infeliciter pugnassemus, fortiter cum ducentis alijs occubuerunt.

Et videns ista Mansfeldius ingemuit primò: tandem ad circumstantes: ulti sumus horum sanguinem, & nemo est omnium nostrum vita dignus, qui mortis metu militare obsequium dolosè ignorat. Iusta igitur magnificè illis fieri iubeo, & alea belli me cum alijs conservatum credo. Hæc dicens: Nostis ne quid ego passus ait? pridiè progrediebar, ad illos, qui extra ordinem pugnabant, ut viderem quo in loco res nostra esset: constiti paululum oculis ad omnia intentis subito ex quatuor Turcis unus hasta me infesta rectâ petiit, atque ingenti clamore provolans adeò vjcinum me hostili manu attigit, ut nihil tale opinantem dextra collo iniecta equo ferè deturbasset. Quod ulturus, qui circa me erant iussi fugientem insequi, ex quorum numero ille (notans me qui astiti proximus, cum hæc V. Aug. referrentur) fuit unus, cui pro capite allato equum donavi.

Et verè dico, me nunquam credidisse tanta ferocitate istos barbaros ad arma duci: credo illos nihil pensi habere vitæ suæ: omnia in furore belli fovere. Sed spero me citò ab illis quicquid artis habeant disciturum: Deindè & proprius & saepius gliscendi campo coniungemur.

Hicce verbis recepit se ad papilionem, ubi milites cum muneribus frequentes obtulere. Acinaces ex fusili ferro Damasco, auro & argento indutas. Scuta Armenia ex serico virgas ambiente intexta: longissimos cultellos: Beglerbegi atque Begorum armaturas, vexilla, servos & quicquid nobilius hosti excussum.

Vnum fuit mirabile: lignum pedem à Palfiano equite afferri, quem Turcicus centurio in locum dextri tormento quondam

MILITIA HVNGARIA.

37

quondam avulsi, adeò aptè suis coloribus sinistri tibialibus patrem fabrefactum sufficerat, ut dum equo veheretur nemo appensum putaret. Deturbatus autem alterno pede cuspidi est innixus, ex quo vitium agnatum, & fugam desperans, ab Hungaro necatus.

Risit Mansfeldius ad ista: & Turcæ, ait, me Ducem appellant cum argenteo pede: quòd satius esset, quàm ligneo sustentari. At miror hunc unipedem ad bellum, ad pugnas redisse; quod nos Germani non factitaremus.

Vnde colligo: magnæ illis militiam curæ: nec vitam alijs quàm armorum studijs sustentari: quàm Reipubl. curam illis invideo, nostris opto.

Deinde ad milites? laudo virtutem vestram: & munera gratus accepto: quod nummorū reddo, solatium, non pretium est laborum: sitis læti, & vini poculo invicem gaudete, nam Germanicum est: Saltum sequi potum: sat hodie saltavimus, & malus est qui villum nobis invidebit: Hæc dicens, vocavit promocondum, ne quis nisi cyatho refectus dimitteretur: quod etiam pro militari festivitate factum.

Hic finis pugnæ, atque illius diei exitus fuit, in quo belli alea mihi parumper favit liberato cum Beglerbegi fuga ergastulo illius aggeris, in quod invitus intrudebar: adiunxi me subito velitibus VVallonum, qui fugientibus usque ad montium cacumina instabant: cæduntur ubique Ianitschari præcipue qui cursu defessi armis abiectis veniam vitæ peccabantur, sed frustra: nemini ex omnibus parcebatur: gladius hausit omnes.

Quæ non equorum copia in arbustis inventa? vidi, ut vivam, qui singuli decem & plures post se trahebant, posteriorum frenis primorum caudæ alligatis. Vestimentorum, imò etiam ocrearum atque tentipelliorum in vijs magna seges; quod risui fuit istis VValonibus tantam esse metus vim, ut pedibus addere alas, atque vestitos fugæ incitamento nudare possit.

F 3 Sequen-

MANSFELDIANA

Sequenti die misit me Princeps cum viginti quatuor crieribus, ut cadavera inter stationes militum inventa juberem devehiri ad Danubium, in eumque projici, ne castris foetori infectis contagium oriretur: Quod diligenter executurus bis operari omnes, saltem illis in locis, qui proximi castris cumulatim sordebat: qui sparsim unâ cum equis iacebant, illos reliqui.

Post meridiem (5. August.) misit Palfius aliquot ex suis, qui Principis nomine Begum per colloquium ad deditioinem invitent. Ast ille cum Ianitscharorum tribuno æquè ut ipse met cano descendens respondit: Viginti septem annos stipendum habeo à potenti meo Cæsare: qui hoc propugnaculū mihi tradidit, sperans me talem forc, quamē me futurum promisi & absit, illum mei fiducia falli. Me canum video, & suadebis necaniciem meam ferrarum cumulo teatam deditioinis ignomina conspurcari? absit; neque lapillum vobis potentibus dabo, minus munitissimam arcem, quam potentissimus Solymanus præsens exercitui, suo imperio adiecit.

Decem millia (simulate) militum heri nobis subsidio venere, quarum virtutib. freti, agemus, quod nostrum est: Vos similiter, quod vestrum est, agitote.

Mansfeldius verò hæc audiens, viginti quatuor machinis integrum biduum fulminando residua moenia tantopèrè demolitus est, ut hostis nullibi, quām subtus terra in cellis se cum imbelli turba texerit defensum; quæ salus etiam incerta.

Nam plurimi ab ingenti lapidum mole contriti, & qui ad excubias collocati clanculum absconditi, se ruderem altitudine tuebantur.

Tùm Mansfeldius: credo illos esse dementes, quod omni salutis spe destituti, mortem sibi accelerent, cum mea gratia vivere

vere possent. Esto: vulpecula multas habet effugij vias: & ego alia ratione aggrediar, ut melius incalescant.

Fuit 7. August. cum hæc diceret: quo die primitus cepit secundum (& paulò ante senserat malè) conqueri de rictu corporis, de cruciatu intestinorum, ut quævis minima commotio acutiss. pareret dolores. Sic permanens in papilione, misit, qui Principem Borgovium suis verbis rogarent, ut venirent ad se.

Qui subito adventant longas ab illo audivit querelas, de valetudinis imbecillitate, quæ impedit, quò minus solita munia in castris, in munitionibus quotidiè visendis obire possit: petere plurimum ut morbi sui ratione habita, imperij curam in se suscipiat: neque patiatur militum habenas licentiore disciplina laxari: satisfactum sibi plurimum, si cepto cursu omnia instituantur.

Indolitus Marchio graviter: & medicos adhibendos suadet, sibi unum Octavianum Roboretum, cuius docta felicitas multis experimentis sit probata; offerre, si placeat: neque in mundo quid habere, quod gratias sibi ac diurna illius vita esse possit.

Gratias agere Mansfeldius; & quia solum Chirurgum pro vulneribus, non medicum pro morbis habeat, acceptare medici operam, donec alij etiam à se vocati adventarent. Sed vereor ait, ne Hungaria me funus suum videat, quia longè acutiores sunt mei dolores, quā m ut ullo sensu exprimi possint. Verum propterea non despondebo animū, qui sàpè graviora passus, finem huius aliquando spero: Hisce dictis discessit Marchio.

Mansfeldius papilionis pertæsus, naviculam ex Danubio in monticellam extrahi iussit, in qua fuit hypocau-

stum.

stum suis fenestris per lucidum atque nullo vento pervium: in hoc biduum decubuit, admiodum quietus.

Die Mercurij, qui nonus est Aug. Comarinum est adverso flumine tractu equorum subvectus: exhibita equitum ala, qui pone litius legendo, comitarentur.

Miserat ex Vienna Sereniss. Archidux Matthias Archimedicū suum Bartholomæum Paravacinium Rhætum, qui cum solus cum paucō famulatu ascendit, reliquis medicis dato munere domum dimissis. Cum verò familiares hunc abeundi animū persentiscerent, nunciarunt ilicò Marchioni ac Palfio, ut matuerent, si alloqui vellent: Innibi rem certò esse, ut Comaronium, transportetur.

Inventus est Marchio apud Mediccum Principem in proximo aggere, qui oppidum vallabat.

Accurrerunt utriusque subito: & pari celeritate affuit quoque Palfius: petierunt omnes, ut maneret: discessu, hostibus animum addi, & militi Christiano afferri: Ne patiatur Barbaros vana insolentia tumidos gloriari, prælio à se occisum: pauca restare, quo minus & oppido & arce potiatur. Quod si verò militi, absentia ipsius innotuerit, ad omnia fore tardum; disciplinæ impatientē, cuius huiusq; fuerit tenacissim⁹. Præterea, si loci commoditas queratur: nihil interesse, utrum Comarini, aut in castris decumbat: castra illi esse propugnaculum, & totum exercitum corporis custodem.

Perstit Mansfeldius incepto: patiamini ait: me animi causa expatriari, non diu abiero, si DEVS velit. Vos interim unanimis estote, cepto pede obsidium fortiter urgete.

Imperium esto penes Principem meum (hoc desiderabi clementiæ titulo semper compellavit) Burgovium Marchionem, cui opto ut tales vos habeat, qualis ego semper sum magna latitia mea expertus: pacificos, obedientes diligentes.

Et rogo vos per DEVVM, ut lege militari omnia tractetis
„ nihil

MILITIA HVNGARA.

41

nihil pensi habentes illorum consiliorum, quæ sola opinione
inexpertorum pulchrè magis quam vera declamitantur. Dein-
de quoque peto, ut severè fontes puniendo miserrimam ple-
bem à quavis iniuria defendatis.

Iusti amator DEVS in hac & æterna vita, vobis rependet:
sanctè cælitus iubens, ut quantum amoris erga Christianam
Rempubl. devotissimo erga illam atque Augustum Cæs. obse-
quio geratis: tantum odij contra hostem ruinæ illorum cupidi
æternum sincerè foveatis, Valete.

His verbis navigium ex fabulo promotum: remi adacti,
& postero die Comaronum delatus, ubi quæ fuit nobilissima,
sibi assignatam occupavit stationem. Eandem hoc tempore
movit se Vienna cum Losensteiniana turma prætoria Sereniss.
Archidux Matthias, designatus belli Imperator: & per celarem
nuncium in itinere admonitus, Mansfeldium lethalis morbi
causa castris abesse: Ilicò per equos dispositos cum pauculo co-
mitatu properavit Comarinum, ut exæcta prius ratione omni-
um rerum habita, exercitui præcesset.

Verùm invida fortuna, sicut in multis alijs rebus: ita quo-
que hac voti sui felicitate magnanimum Principem destituit,
mortuo pridiè quando iam advenerat. Fuit is obitus sui dies
14. August. intra octavam, & nonam horas vespertinas, & non
minus piè quam fortiter obdormivit, animo sibi ex divinis o-
raculis obfirmato. Ita enim semper ad suos: Ne putecis me in-
vitum mori, qui dudum hoc iter sum meditatus: nec acerbio-
res dolores sentio, quam quod Augustissimus Cæsar fidelium
ministrorum valde inops: me fidum & utilem famulum inau-
spicato amittat.

Hæc inter sepe interrogavit suos, præcipue sibi olim fami-
liarem Balthasarum Fridericum ab Ossa, Vetusta nobilitate
Misnica & rerum usu conspicuum, quid audiant de Strygonio?
num satis ne salva omnia: Et illis semper grata respondendibus,

G

venit

MANSFELDIANA

venit cursor ex castris à Burgauio Marchione missus, qui nunciaret: heri. h. e. XIII. Aug. tempore pomeridiano vietricibus signis expugnatum esse oppidum Strygoniense, quod proximum arci adhærebat.

Quo Euangelio tantoperè latus est, vt erecto corpore nuncium porrecta dextra salutârit, atque aureo torque iusserit donandum. Ilicò apud se confidentem quæsiuit de ratione illius successus; ad quæ nuncius breuiter vt res fuit: Princeps Burgouius autor est totius rei: nam primus suæ ipsius vitæ contemptu legiones adduxit: quæ munitiones, quæ valli sepimenta perrumpenda ostendit: tardum militem coëgit: fessos abduxit: alios & quidem sex cohortes suæ ipsius legionis, cùm reliqui deficerent, magno ardore ad extrema descensurus immisit, quarum sociato labore reliquis militibus animi additi: atq; hostis ex vallo in oppidum, ex oppido in arcem fugatus, magna omnium parte ad internacionem cœsa: quos interfuit ipsem et Caralybegus atque Ianitscharorum Capitanus, vtriq; longa Canicie & diuturna militia supra omnes clari deinde plurimi equorum educti: frumenti etiam copia non parua. Nunc ab hoste incensa ciuitas ardet lucidissimè, ac fumantem hîc videre licet.

DE O meo, ait Mansfeldius, grata mente piè voueo, quòd priusquam moriar hoc me Euangelio refocillârit. Verùm age mi amice? Qui hostis ciuitatem accendere potuit? Mox Viator: per latentes viarum anfractus variè ductos seminauerat in diuersis ædibus magnam pyrij pulueris vim, quæ partim vasculis inclusa, partim rudi cumulo congesta, rursus nouis fermentorum riuulis circulari cursu terminabatur in profunda quadam cella: quæ plus ac centum vasculis plena rigebat. Vnde factum est, ut igneus funiculus ex arce coniectus inuenie-

rit fomitem vbivis : qui rapidissimo fulminanti cursu circumcirca exeso seminario puluere pererrans , reperit , cumulatum , qui maximo tonitru disclusus , vno momento integrum hau sit ciuitatem , vt meris ignis latissimè illuxerit , qumadmodum hac hora videtur . O dolosa gens , ait Mansfeldius , Turcarum est : Et multi ex nostris perierunt ? ferro pauci respon dit nuncius , at igne quadraginta ferè , illorum præcipue qui vulnerati ab exitus interclusos , atque Centurionum inhumam negligentiam relicti fuerunt . Nimirum Princeps ait , nos Germani parùm sumus pristini Germani , quia nemo alterius infortunio mouetur : minus in belli periculis commilitonem suum , quis iuuat , cum iuuare posset . Ducum illa , non gentis est culpa : Statueram ego vindicare hanc quoque ignauiam , sed vita mea est in manu DEI , cuius voluntati omnia commisi .

Hæc dicens : Vinum depoosit : quo epoto in dextrum latus se inclinavit , quietus per duas ferè horas , ac si profundæ cogitationi esset immersus . Euigilans deinde plurimū est sollicitè precatus : quoque positu corporis iam diu iacuerat , eò etiam nulla oris aut visus toruitate visa , est sicuti dixi paulò ante nonam horam vespertinam extinctus , Anno ætatis quinquagesimo tertio : vndeclimo die post Turcas prælio devictos . Hic finis vitæ hic exitus optimi Herois fuit , quem si fata nobis conseruassent .

*Vltrò Asiam magno Germania ad fædera bello
Venturam et nostro ea fata manere nepotes.*

Habuisset enim inclytus Archidux , qui in omnib . operam vicariam præstiturus Austriacam mansuetudinem Saxonica se veritate compensasset : tantò ad fontes puniendum proclivior ,

quantò ille ad ignoscendum benignior, sui abusum hoc socio omnium, iustè vindicasset. Nihil enim magis in illo sum admiratus, quam ardens Reipubl. studiuni: cui se penitus absque ullius avari lucri opinione manciparat. Verùm, quid juvat hęc pluribus commemorare: Ut malorum memoria iucunda esse solet, ita optimorum valdè acerba, ingenti desiderio suis votis destituto: liberalis fuit, modestus, humanus, verax, comis fuit, apertè germanus fuit.

Vidi cùm Praga proficeretur quinquaginta sèpè milites obviam habuisse, quibus singulis aureum donavit. In castris nemo æger alimenti inopiam est passus, pecunijs & comedatu omnes juvabantur.

Si quis ab hoste vulneratus illi occurrit, nunquam à facie absque aureo vel Ioachimico est dimissus: egentem verbis solari, fortitudinem laudare, præmia & honores polliceri. Ex quo factum est, ut quām manē iusserrit crumenam aureis adimpleri, semper vesperi vacuam reportarit: & semel ad me, marsupio ostenso: ecce quām dives sim: manē ingessi centum Ioachimicos, nunc duo super sunt: reliquos donativo erogavi, quod diurnum modò est pensum.

Et qui credit, mē unicum obulum ex stipendio meo lucraturum: ille non solum mihi est iniurius, sed etiam pessimi genij homo, inter bellorum causas non distinguit.

Ego inter belgica arma natus & enutritus, nihil pensi amplius illorum habeo, quia libidinosa magis, quām necessaria medijs genijs componi possunt.

At Turcicus prædo arma infert orbi, ut vel totum servire, aut Christi DEI odio æterni cruciatus premio avitam religionem exuere cogat: Quo in fortunio, nullum maius esse potest. Hęc & alia plurima hunc in modum sèpè solitus est differere, admonitus quodam belli cauponatores, ut cessent humanum carnem ulterius vñdinari: At frustra quærimus fundam Barathri.

Nono Iulij, cum Caralybegus armata manu ingredere-
tur Strygonium, & Hungara gens, quæ parva numero ad im-
pediendum missa partim fuerit cæsa, partim fugata: quotquot
fanè vulnerati offerebantur, omnes laudatos remuneravit: sa-
tisfactum officio dicitans: vindictæ modum superesse, quem
brevi daturus. Nunquam visit extra castra munitiones, quin
militi præsidario semper dederit Congiarjum, idque Princi-
pum more magnificum, uno urni dolio afferens, optimos sæ-
pè milites latere testos.

Palfiana diligentia Coccaro capto, cathenam iniecit collo
cuiusdam Hungari, nomine parvi VVolgangi Comaroniensis
Vicarij, quòd primus illo nuncio anteverterit alios.

Ego etiam id temporis & meum quo advectus, & alium
præda oblatum geminos perdidì equos: unum famuli incuria:
alterum avari militis potentia, propterea quod omnes plateæ
armorum plenæ, atque memini alia, quàm qua ingressus est,
per scalas via daretur.

Rediens vesperi, audivi omnia mihi recensentem, quæ
passus: Et subitò: quia militiam amas: nulla pericula subterfu-
gis: labores toleranter suffers: alium equum ex meis reddo, u-
tere tuo, & sacrum hoc bellum ama.

Ego agere gratias, qua par fuit, submissi animi observan-
tia, & tacitè latus gestire: infortunium fortunā rependi.

Quarto die post ceptam obsidionem transfugit Strygo-
nio ad nos provisor arcis: pietatem simulans Christianam, cu-
ius devotione polliceri Mansfeldio intra biduum, & arcem &
oppidum se curatore tradi. Fluctuavit Princeps, alij persuade-
re absque periculo illa credi, quod esset illius præsidij, Turca-
rum præcipuus: neque ipsemet Bego, tum temporis absente
inferior: credidit Princeps studiosè; atque ut verum exprime-
ret Transfugam blandimentis munerum devicit: cuius malici-
a corpore in minutissimas partes dissesto, est suo ipsius san-

MANSFELDIANA

guine vindicata. Quod resvero, ut quævis alia, solius liberalitatis exempla, quod alij malè odorant non sensi.

Demodestia filebo, quia non Principum, sed privatorum est virtus: quorum supplex per se angusta, inanem fumum ambitionis fastidit: verum magna sunt decoris spatia, quemvis honestu æstuante vidisse: Ita semper de se: Novus sum miles hoc in regno, et hostis mihi neque victoria neque clade cognitus. At discam jugiter, quæ nescio, et discam ab illis, quorum merita præ alijs decantantur: neque adeò inops sum mentis, ut nesciam de ætis judicare.

Sicut egregius Architectus uni versali scientia instructus, varia ædificiorum genera, pro commoditate loci extruit: Ita Imperator quoque belli, et quivis alius Martiæ scholæ addictus, ex loco atque hostium genere, non discit novam militiam, sed veræ militiae usum, nō sec' ac lute consultus, infinitas ut vocant, factorum species: ex legum: idæa dinoscit, etiam si nulli certæ legi subjiciantur: Nam verus artifex usu artificij nunquam destitui potest.

Et video hîc oppida et arces esse quemad: in Belgio: nec aliam belli Iurium rationem, atque ubivis gentium fuerit semper: in loco, in situ, in hostis conditione, est sola differentia: quæ singula, non universa tangit, quorum illa ad solum momentaneum usum: hæc æternum artis magisterium spectant.

In milite nihil est diversi, quia eadem ubique armorum utendorum est ratio: solos Duces oportet oculatum judicium habere: quod nunquā in singulis rerum gerendarum occasiōnibus fallit, nisi quis fortunam inscitiae suæ velamentum accutet. Haec tenus ille, et prudenter & verè.

Vnde ortum est desiderium novos amicos ex Hungariae ducibus eligendi, quos inter magno apud ipsum loco fuit: Inclitus Comes Franciscus Nadasdy, sola illustri fama, non familiari

MILITIA HVNGARA. 47

miliaritate cognitus cui adhuc castris absenti sua manu sæpè amicissimas scripsit literas , quòd sibi & patriæ gaudeat , ob res præclarè ab illo gestas : quoque à multis annis ambivit amicitiam illius : sincerus & honorum , & virtutum a-
mator , neque nihil habeat optatiùs , quàm vt tali socio &
amico in Hungariæ regno patria suâ vti concedatur ; ro-
gare plurimùm , vt venire ad se in castra , & vicariam sæ-
pè operam in hostium quotidie ad castrorum valla super-
bientium studio fallendo , sicuti etiam diurnum sui desiderium
amico alloquio cyplore velit .

Non diu venit Nadasdy , Comite Francisco Dersij de Serdahel Barone , bello & nobilitate clarissimo , cum quin-
gentis expertissimis equitibus , totidem ferè domi contra Pa-
pienses atque Iaurinenses Turcas quotidie ad portam Sarvva-
rinam obequitantes , relictis .

At inclemens fortuna invidit vtrisque mutui aspectus felici-
tatem , quia postridie quàm princeps Comarini decesserat ,
Nadasius in castra venit : neque hodie adhuc intempestiuum
obitum satis elugere potest .

Sequitur humanitas , cuius laude nemini cessit : à puerō
salutatus resalutauit , senioribus assurrexit , juuenes decenter
honorauit : neque saltem natura , sed artes quoque liberales ta-
lam genuerunt , quarum præsidio ad omnes hominum mores
erat munitus : quicquid differebat profundis rationibus ex lite-
rario campo nitebatur . Et semel ad circumstantes , cùm lati-
nè ad Hungaros loqueretur ; sine dubio me Idiotam existima-
tis : sanè arma sine literis , sunt gladius sine capulo , & currus abs-
que temone : Quod parvum didici , quovis auro mihi & carius
& gratius est .

Louanij septem , Parisijs quatuor annos studiorum causa
vixi : & sumnum credo prudentiæ cacumen , si quis ab optimis mortalium , quid quoq; in vita statu sit optimum , gnaviter
perdiscit .

perdissit, nullius etiam seculi moribus neglectis, quod solum mortui cōsiliarij. h.e. libri docent. Neq; inficiar plārisq; nostri ævi ducibus fordere istæc, sed neque lauream olen, & longè meliores hoc consilio meo essent futuri: Ego literas amo, & quotidiè disco: inexpertam philosophiam Reipubl, inutilem odi.

Huic literaturæ accessit variarum linguarum cognitio, quarum idiomata, non securus atque in sua cuiusque terra natus apprimè novit: inter Gallos optimè: inter Hispanos magnifice: inter Italos eleganter: inter Belgas propriissime locutus: ut nisi Germanum quis præscisset, hac sola linguarum diversitate in ipsa vernacula fuisset falsus: neque Caro verba sua nondinabatur, sed assabilis omnia ipse met alloquio expediebat.

In more habuit, quoties militem in opere quodam valli aut fossa efficienda exercebat: ferramenta penes suum tentorium reposita haberet, quæ manè acceptantibus annumerabat; & vesperi rursus sua sæpè manu recipiebat, ne iusso militum numero falleretur. Opere iam ex votis confecto, milites laudavit, congiarum promissum lætus exoluit: hunc se in Gallijs, alterum in Belgico vidisse ostendit: Illi acclamantes operam deferre, ac nulli unquam parcituros labori affirmare: Quid scribam, gratiarum filius fuit.

Ad finem propero, si veracem prius, atque candidum notavero. Dum vixi cum varijs ingenijs fui in diversa Orbis parte conflictatus, quorum quisque suo genio ad nævos, atque ornamenta incitabatur. Et igneum Mansfeldij ingenium dixi antè. At mitius omnia sinistra tulit: mendacis in verecundam frontem ferre non potuit: dicta & facta iuxta voluit haberi, uno mentis atque oris consensu.

Qui verba simulet, nunquam illi fuit amicus: & sèpius ardenti animo, quando feraces literas promissionum lexitatrat ad familiares suos: scribunt mihi grata, & ludunt mecum factis:

factis: haud patiar, si alicubi offendero, seuere vindicabo. Ita ne sumus Germani, vt datam fidem ex voluntate, non promissionis necessitate p̄sttemus? Oi me infelicem, qui ad ista secula sim reseruatus: ITA & NON sunt vincula Germanæ mentis, quorum si quis iuta medio fucato ingenio aspernatur, haud Germanus sed alterius cuiusdam mercatoriæ nationis homo est. Mihi verba sit juramentum, ac quid vis pati malo quām vt promissa non p̄sttem, vel alijs dolosa fингentibus condonem.

Hanc veritatis religionem comitabatur insignis quidam apertæ atq; Germanæ mentis candor: nihil corde suppressans, quod dicendum alijs mordebat: apertè amicus, apertè inimicus fuit, neque fronte odium vel amicitiam occultabat.

Audiui, cùm famosis legionum atq; cohortium p̄fectis grauia in os dixerit: ineptitudinem militiæ arguens, atque ignauiam, somnolentiam, timiditatem, avaritiam, & alios pessimos quorundam mores acerbè incusabat: Ita ne milites sumus, vt comptuliantibus muliercularum splendeamus: periculi metu assignatam stationem deseramus? Non patiar, aut mori me adiungent, aut ego illos. Et verè dico: quod nunquam expertus, militem Germanum minus valere atq; hīc. Stipendia merui inter VVallones, Hispanos, Italos, Gallos, Belgas dux omnium, miles quoque inter omnes: assaltu & acie vires omnium expertus. At me C H R I S T E , quo Germanus peditatus non peruenit, nunquam aliis cuiuscunque sit nationis peruenturum credo: atqui volunt duci ab optimis P̄fēctis, qui ordinem & leges disciplinæ militaris norunt, quiq; primi audiendo p̄lucent.

His verbis recensuit plurima exempla, quæ in Gallijs, in Belgio à Germanis legionibus ad invidiam omnium nationum laudabiliter acta. Vnam exgressit Barlemonianam, quæ septem cohortibus ferro penetrarit totum Belgium, vsq; ad Galliarum fines tot victorijs nobilitata, vt inauspicata gestorum admirata.

H tione

MANSFELDIANA

tione, cognomen à septem Diabolis sortiretur; quæ res per se aperta, non indiget argumento? quæratur qui quis miles, qui Belgium attentauit, omnia & longè plura dicet: Ego ipsem et comperi & certus vera confirmo.

Verum hodiè minor est nostra laus, quia verum militiæ iter plerique ducum vel ignorant, vel delitiarum sordibus deliniti aspernantur. De peditatu loquor, cui nunquam minus atq; hodiè est tributum, causa est in promptu, quæ singulos, non universos tangit. Germanorum gens eadem est, quæ fuit semper nobilitate, excuso animo, fortitudine bellica, & quæuis potenterissimæ nationis laude illustris: sed Martia schola deest, quam opto: & mercatoria bella externa plurimum nocuerunt, ho- „nesta ambitione in avaritiam versa: Quod sancta patria luget, „hostis ridet.

Ignosce obsecro si euagor, quia instar naucleri abrumpt dolenti affectuum violentia ad aliam portum: Qui non dolorem, milites bella ignorare. Dicere volui de germana Germanitate Mansfeldij nostri, quam plurimis documentis est publicè testatus, sed res in aperto est, & ardentes faces à lumine solis obscurantur.

Hoc doleo, esse nostro ævo Germanos, quibus dedecori sunt mores nostri, quorum laus apud maiores cepta totum orbem est perugata. Externam regionem quis hodiè attigit? Iam Italica est totus, vestitu, moribus, gestu: Romani Censores hæc quondam prohibebant. Et veteres Germani adeò fuerunt germanitatis suæ tenaces, ut neque permiserint quenquam ad se commicare cuius consuetudine pristini mores corrumperentur, atque nouis illecebris deliniti, ad animos effeminandos ducerentur. Et saepius publicè Mansfeldius ad amicos & Sanè à maiorum disciplina & vestigijs degeneramus; externis delitijs indulgemus, veram militiam fastidimus, necessariam ignoramus, laboriosam aspernamur. Ego adolescens inter gregarios

rios relatus : hodiè nostri nobiles excunis ad signa , ex literatio ludo ad præfecturas , ex gynæco ad legiones conscribi volunt , auro non hastis splendent : cæci ducunt cæcos ; inexperti in expertos : Qui tandem triumphemus ? Hinc me CHRI-
S T E judico , aut pristinum militiæ ysum solitâ cauponatione posthabita reuocandum , aut tardè laureati ouantes ingredie-
mur . Generari & nasci à Principibus , ac quo quis alio nobilio-
re loco est fortuitum , nec vltrâ æstimatur . Virtutes artium ex
disciplina , & judicium belli ab experientia promanat : quod germana mente loquor , nullius inuidia , sed rei veritate moni-
tus , quia video delicatulos quosdam valdè implumes volare :
Saltem veniat Sereniss. belli Imperator Archidux Matthias , cle-
mentissimus meus Princeps ad castra , inueniemus medicinam
vtrique , vt hic morbus dextrè curetur : Et miror nihil grauius
ob quorundam vitia passum . Haec tenus ille : quod repeto , si-
cut multoties stomachabundus repetiuit .

Num iusta fuerit querelæ causa , non meum est indagare ,
qui exercitus est Princeps melius omnia experitur : ingens est
beneficium D E I huiusque minori cum periculo belligra-
tum . Quis ducum belli talia inulcus patietur ? Ego humi-
litatem meam noui , at decies maluissim mori , quam illa suf-
ferre , quæ Archidux hoc biennio à petulanti caterua inter
maxima vita pericula est sifferre coactus . Atque haec tenus de
altero capite h. e. virtute .

Proximo loco abest autoritas , quæ virtutum est filia ,
ex quarum admiratione conciliatur ; hæc quanta fuerit in
MANSFIELDIO , dicent alij , qui castra nostra viderunt ,
in quorum angulo quiuis ab officio deuij ad solum nomen
contremiscebat . consilia erant præceptum , atque adm o-
nitiones parendi necessitatē afferebant . Quocunque
H 2 incessit ,

incessit ingens comitantium numerus cōspiciebatur: ait, aiunt: negat, negant. Ut verbo dicam, solus imperabat: vnicus & consilij & factorum autor.

„ Ultimum libabo, quod ex quatuor propositis, est felicitas,
 „ occulta rerum prosperitas, ortum habens ex fato atque huma-
 „ na prouidentia, quæ tantò sēpè inconstantius agentem fallit,
 quanto magis ille in verita, mentis errore præcipitatur. A pri-
 mis vnguiculis usque ad mortis articulus est multum periclitata-
 tus: terra, mari, morbo, incantationibus, conflicitu, & fausto si-
 dere semper euasit.

Ante biennium est in Gallias cum exercitu missus: ubi intra
 duos menses, decem munitissimas arces atque vrbes, partim vi,
 partim deditio expugnauit. Verum enim uero nihil omnium
 & hæc, & millies alia sunt, si quis ad rationis momenta reuocet,
 quæ maxima Hungaro, bello evenerunt: In Belgico magna ges-
 sit, fateor: at aincipiti sēpius fortuna, quæ annuens ad pauculos
 dies illustri fama beauit: despondens, inuida multorum calu-
 mnia onerauit. Quid? refelicit erga, plures honorum ac la-
 borum habuit socios: Centurio, miles, præfecti, suam sibi par-
 tem vendicarunt.

Hicin Hungaria quicquid à viuo benè gestum, totum ha-
 buit suum: nihil huic aut alteri, sed omnia illi ferè ascribebātur.
 Quod maius est: opinione paradoxon, at ratione symbolum ad-
 fero, licet gloriæ suæ, non nobis satis vixerit: tamen eo ipso felici-
 citer obijisse, quod plurimo honorum semento jacto instabiles
 fortunæ casus non expectârit. Ac memini, me aliquando lecti-
 tasse apud Græcum doctorem: ablegasse patrem filium suum ad
 externas prouincias cum hoc voto: Fili ad exterros abi, & honori
 stude: quo parto, citius morere. Innuens nimirūm, magnam
 esse partem humanæ felicitatis, si quis ad summa dignitatum fa-
 stigia elatus, statu integro prius decoro abit, quam fortunæ in-
 stabilitate adim a rutsus dilabetur.

Vidimus

Vidimus in mundo plurimas, qui nobis exemplo esse possunt, Ex omnibus nominabo: Mitridatem, Annibalem, Matrium, Pompeium. Et nostra tempestate, Albanum Principem, Iohañem Basiliū, Moscum, & si tutum esset, plures ex nostro æuo. Nam euenit saxe, vt quis subito illustri fama orbem habeat minorem: mox inauspicato quid gerens, pessimè vniuersim audiant, exemplo Athenarum ducum, qui vltimò plerunq; ignominioso morte ab vnius infortunij culpam necati. Quod Romana prudentia, quo quis rerum auspicio improbavit, occultisfatorum vijs ab humano studio distinctis.

Quæ fortunæ etiam hodie Turcicos præfectos comitatur: quorum pauci natura, pleriq; violenter ex stulta infortunij opinione spirituum meatu fine collo reuincta clauso interimuntur. Et sanè magnus ille vir est, qui cum fortuna contra hostem, & cum restaurato exercitu contra fortunā bella gerit, exemplo illorum ducum, qui victores modesti & victi magnanimi extiterunt.

Mansfeldius noster florenti fortuna est semper vsus: cùm, quia pauci Turcarum hoc anno (nihil est pensi apud nos viginti millium) in cōfinijs relicti: tūm, quia circumuallata castrorum munitione tutus, nunquam plenè collatis signis, nisi vno VVallonum agmine pugnauit.]

Quarto Aug: res tentata feliciter & felicius peracta, quod fateor, sed media fortuna sumus vsi, quæ magis extra pericula, quam cum securitate fuit dimicantium, munitionib⁹ ad quævis incommoda oportunis. Aliud est si vita superstes à fortuna desertus, semel atque iterum infelici conamine hosti cessisset: quo euentu, quod vis gloriæ partum, inepti vulgi rumore commaculasset, quemadmodum plerique optimorum belli ducum illud infelicitatis, & nostro & maiorum seculo experti. Dum castra vigent, obsidium vrgetur, pugnando vincitur: belli dux inter D E V M, supra homines collocatus, ad coelum vsq; laudibus

MANSFELDIANA

bus effertur. Sin verò nihil horum aut paucula ex voto successerint, Di⁹ boni, quæ noñ mordacia seminantur? est proditor: est ineptus, est imperitus: non vult, cùm posset, hōsti nocere: illa neglexit, aliud egit: Ita oportuisset factitare. Quæque alia infinita, in popinis, in commescationibus, caluniosè妖怪tantur.

Filicum & Nouigrad, munitissimæ arces nupero tempore feliciter expugnatæ, nullo non laudum genere duces cumulare: Mox frustraneum Strigonij atque Haduaniense ob-sidium populo criminandi materiam præbueré, quibus magni etiam opinione viri difficultatum bellicarum nesci⁹ asti-pulabantur, quasi nihil inter vulgi votum, & ducum facta in-ter sit.

Audiui nuper, quæ summa dignitate aliquis ex Hungari-venti adoratu in medium disseminauit, plena suspicionum, vacua consiliorum. Quis talia probaret? Multi multa propter autoritatē viri attribuēre.

Ego non de fortuitis, verūm causis rerum sollicitus longè aliud considero, cuius forsan nulla vel exigua apud illum & illos fuit cura.

Neque Attheniensium Arcopagitas, sed Romanorum Feciales cum experto senatu expeto Iudices, in Prefectorum infelicitè pugnantium causa: nimirum vulgares animi hac im-matura seueritate flaccescent. Quis euentuum causas nouerit, nisi rebus ab imo fundamine constructis? Mansfeldium dixi felicem, quod exortu laudum clauerit vltimum diem, nescius infortunij acerbioris, & nescius quoque calumniarum. Et viuere: addo, neque voluit, tanto sui desiderio apud omnes re-licto, vt sola maximarum rerum expectatione, quosuis cele-berrimorum ducum parta gloria obscurarit. Qui nobis pa-rum

rum vixisse ait, mecum facit, quia nunquam Augustus Cæsar cum serenis. Archiduce illo magis atque in hostium myriadibus conculcandis imposterum vti voluit. fata nobis inuidèrent istam felicitatem, atque illi abeunti grauiores casus auerterunt: qua in re num fallar, tuum est judicare: Loquor absque affectu libere: atque humanum est potuisse illum æquè difficultates Hungari belli experiri: quemadmodum quiuis omnium ducum est expertus. Frustra enim quis solam arcē tentabit, vbi etiam fortuna opus, quæ ipsum quoque Iulium Cæsarem, atque Annibalem, Imò etiam quosquis præstantissimos Ducum in opinato euentu anxios confudit. Quod ea mente scribo, vt in omnibus & humanæ vitæ actionibus ingeram mihi, quod ingeniosus Poëta verissimum habet.

Ante obitum nemo, supremaq[ue] fata beatuus.

Si vacaret, mille adducerem exempla tām vetera quām noua, quæ fidem faciunt atque lucem. At vocor ad valla: inter munitiones: Mansfeldianos manes saluere jubeo, & quod seminatum iri metuo, de causa mortis, quam alij veneno illi præparataim suspicantur: Quæso nihil credas, si tale quid inter vulgus proferatur. Hungarorum gens laboriosa magis est quām dolosa, neque subtiles venenorū vsuſ nouit, quibus ex proprio nationis instituto nunquam assueta, cur tan-tum facinus meditarentur? dux & pater illis fuit, qualem religiosē coluerunt, neque vidi nullum magis lugentem, quām Hungarus, qui tanto ciulatu luctum attestati, vt nulla ciuitas, nullus pagus, nulla etiam domus, lachrymarum vacua inueniretur: suæ semper mortis est causa, & Mansfeldianæ quoque certæ, quam alij vario glaciali alimento in cibis & potu, alij ardenteribus vinis Hungaris ascribebat, quæ semper in maximo æstu inordinate hausit.

Ego

MANSFELDIANA

Ego quæsiui Medicos, qui inspectis intestinis iudicarunt, neque multò diutius viuere potuisse, propterea quod iecur ardenti tābe consumptum, atque pulmo flacessens spiritus meatu defecisset? de veneno nihil, cui⁹ vestigia in demortuis apparere solent: & mortuus colore, aspectu idem qui viuus, & dormire non cadauer est visus: vrgent Hungari, vt sua in terra Posonij summo templo iustis magnificè factis sepeliatur. Sed audio Petrum Ernestum patrem funus repetere, cum viui aspectu ante obitum frui non possit: nimirum graue nuncium octogenarij senis aures vulnerabit. Euandrum Poëta meus in octauo & vndec. Accid. producit, miscrabili habitu ad vnici Pallantis filij ex bello remissi funus, quod mihi suggerens videor, in Belgico paternis luctibus interesse, qui apud mecum quævis lætitia commutari, non deberent ob ista & illa, quæ patri etiam immoatalitatis laudem, quod talem genererit filium, pepererunt. Atque huc obiter devita & moribus Mansfeldianis.

Redeo in castra, quæ imperatorem suum Archiducem Matthiam 18. Aug. tribus turmis prætorijs octingētorum equitum optato aduentantem, plurimis lætitiae signis excepere, atq; quinto die post h. e. 22. Aug: Franciscus Aldobrandinus belli studio præclarus, & summi Pontificis Clementis. VIII. agnatas, cum quindecim millibus Italorum se nobis coniunxit. Ex quo tempore Archidux ingenti conatu arcis expugnationem vrgebat: qui cuniculus erat præparatus, est à vigilanti hoste contrario studio subuersus: ita ab ingenio ad manus res deuenit, assaltus experimento accessu tentato.

Itali ex Palffianis aggeribus, qui proximi Danubio decluem, atque vltimam arcis partem vallabant, valorem suum tribus legionibus experiri: legiones Germanæ ex oppido per diffilimias rupes atq; alta mœnia fortiter vrgere.

Hostis ex alto, commoditate loci fretus saxis conuolutis desuper proiectis deturbare, occidere, vulnerare. Quod videns, accessi

accessi ad Marchionem, petens viginti quatuor fabros lignarios, qui me procurante, ascijs sepimenta succiderent, quæ loco mœnium proximo anno dirutorū hostis collocārat, vbi quod exiguis erat in ascensu monticellus omnia militi faciliora videbantur. Ignis enim hīc subijci, ac Turcae, qui duabus saltem locis copiose pugnabant, in plures angustias coniecti necessariam huius partis defensionem, vrgentes rariori agmine facto, facilius ex mœnijs propelli possent. Annuit jussū Archiducis Marchio, mittens simul qui quærerārent mecum fabros. Intērim nostri fortiter cepta vrgere instar caprarum altissima petentes. Quod Archidux irritum aduertens signum receptui dedit, legionibus in suas stationes reduc̄tis. Perierunt trecenti ex nostris, quos inter nobilissimi erant Italorum, qui honoris studio primi ante omnes prouolārunt: iniquiore loco erant Germani, & pari cum illis jaetura passi: quorum omnium nomina iam taceo, quia literas non Annales scribo: & dignissimi omnes, qui posteritati commendentur: quod ingenuè incorrupta mente facturus.

Sed vehementer improbo, jam Typographorum officinas, vbiuis locorum effarciri Hungaricis commentationibus: atro albī commīsto. Quæ veritatis impostura seuerè prohibenda: Quæ non somnia in vulgus seminantur? pro affectu vnum sine merito efferunt: alios malitiosè calcant: Hīc longis naribus olen prælia, ibi rapinas, alicubi expugnations. Vulneratos aiunt, qui aut nunquam vixere, aut centies mille passibus domi securō prandio conuiuantur. Vidi & legi alia multa, & perlectis irascor. Sunt qui opinantur esse aliquos ambitionis lepra tactos, qui studiosè ista mendicando ementiuntur, quorum fumosa laus citò arescat. Tu vulgi judicia cohibe, ac per te prudens securus veritatis hæc bellica nostra disce. Nunc redeo ad priora.

Videns jam Archidux se nihil hac via proficere, aliam ag-

I gredi

MANSFELDIANA

greditur minus periculosam: primitus cuniculum subtus propugnaculo majori, penes portam egit, dum ex senis vallis horrendum tot dies intomuit, tribus etiam tormentis trans Danubiū dispositis, quæ recto itinere nudata mœnia in perniciem imbellis turbas conquassarent. Qui conatus adeo feliciter cessit, ut Turcæ pridiè Calend. Septemb. hora 6. pomeridiana edito clamore colloquium petierint, cuius habendi facultatem non esse apud se, respondit Ioannes Mediceus, ob Archiducis absentiam, qui manè sollicitandus. At illi magis magisq; instare, donec Archidux Calen. Septemb. sequenti die hora 6. matutinam monte diui Thomæ audiuerit illorū preces, quæ à tribus delegatis hisce verbis proponebantur: potentissime Princeps, misit nos potens Beglerbegus Asiae ad te, ut significaremus, sibi ac toti militum ordini esse in animo, arcem tradere, si honesta conditione licet: pacescimus vitam, facultates, & quicquid armati possumus asportare: insuper etiam militaria signa, quæ omnia nobis sunt justè concedenda, quia & Sinan Basla laurensi militi vestro academ concessit: arcem vti accepimus, vti jam possidemus, sine dolore malo in manus vestras trademus.

Archidux habitò consilio primùm duriter interpreti respondit: iniquum esse quod petant, omnia esse in sua manu: beneficium habeant si vita incolumes dimittantur. At illi constanter affirmare, sibi animum esse vitam potius perdere, quam ignominiosè facultatibus exutos dimitti: satis virium & comeatus esse in arce: habere ad obsidionem diutius tolerandam: neque fame aut siti, verum eiulatu muliercularum, atq; puerorum ad deditonem moueri. Quod si verbis illorum non credat, rogare ut homines expertos intromittat, qui oculorum judicio edociti referant de illis, quæ viderunt: quatuor sese offerre obsides, qui doli mali cautionem præstent, aut totidem quoq; repetere, ut securi sint.

Acceptauit Archidux conditionem, & post obsides datos acceptosq;

acceptosq; delegit quatuor ex circumstantium numero, qui intrigredientes arcem diligenter expiscarentur: num satis aquæ in fontibus, & quaæ ratio munitionum esset, quibus tantoperè considerent: Hi erant præstantissima dignitate nobilis. viri: VVolfgangus Iörger Baro Austrius, frumentationum quæstor: Nicolaus Palfy: Franciscus Nadasdy: Christophorus Hermannus Rosvvurm: qui reuertentes retulerunt, & satis aquæ in cisterna, & frumenti quoq; in cellis reconditum. De militis inopia non quærendum, quia sani & robusti paulo minus mille, nihil fossati in arce obuium, sed quæuis itinera saxonum conuolutorum montibus inuia: solius imbellis turbæ, non virorum causa veniam vitæ dandam.

Perstitit nihilominus Archidux, & præter vitam nihil à se concedi nunciauit: Bis ad colloquium obsidionis tempore inuitatos, quò vita incolumi potuissent ad suos reuerti. Nunc extrema necessitate oppressos audere conditionis modo præscripto, victorum leges ignorare, aut nudi abjectis armis aut nulli egrediuntur: tantum sibi & animi & virium superesse, ut & istum nidum & auiculos possit exturbare.

Hæc dicentem, emolliebant consiliarij, quorum alij pericula militum, alij euentus incertitudinem, alij sumptus magnitudinem allegabant: satius esse regnum ac pecunias lucrari, & dum hostis se victum per deditioñem fateatur, acceptare oblatam arcem, ne animo resumpto extrema cum summa militum jactura experiatur, nam verè imperatorum esse: magis vnum seruare Christianum, quam mille Turcas occidere. præterea si miles assaltu superio (quod dubium & periculosum) arce potiatur, nihil plus lucri ad Cæsarem, sed prædam ad milites pertinere.

Minus moueat eiusmodi pugnaces expertos hostes non dimittendos, quia vel laqueo celebriores Turcica seueritate interimentur, vel commodior locus ad omnes occidendos in planicie campi relinquetur.

Hæc inter Legatis sollicitè apud alios misericorde voce ut-
gebant, ut exemplo Iaurinensis deditioñis secum belli Iure hu-
maniter ageretur, cum nihil magis deceat viñtores, quam cle-
mentia erga devictos, ac misericordia erga omnes uti. Quibus &
alijs verbis impetrarunt, ut Archidux medium secutus iter, ali-
quid de pristina remiserit se veritate. Pacti sunt: ut vita in colu-
mes atque solitis armis dimittantur: ut mutuatis cymbis Budam
vsq; devehantur, ut quantum supellectilis evinçto brachio am-
plecti possunt, secum ferant: qua una illi fuerint per oppidum e-
missi porta, per alteram extrinsecus subito & nō prius noſter præ-
ſidiarius miles intromittatur: ut tutti à milite Christiano præſen-
tur. E diverso, promiserunt: sine dolo malo arcem cum tormenta
ria supellectile tradi: omnes captivos relinqui. At monere, ut
quem pyrium pulverem ad militis Christiani perniciem semina-
rint, diligenter avertant, ne à passis culpa in illos trans feratur: vo-
vere simul, ut pace inter duos Cæſares constituta, quivis suo cum
utilitate subditorum utatur, fruatur.

His conditionibus literæ utrinque factæ, atque Turci noſtis
adventu in arce taciti substitere. Quid nòn ciulatus in templo au-
ditum? sanè nivit egrediebantur, quod clamosa religione sunt
totam noſtem attestati, quæ plane in ſomniſ est ab illis trans miſa:
Et nihil ferè niſi ululatns, & ſarcinas convafari animadversum.
poſtero die, qui ſecundus fuit Septemb: Circa quintam matuti-
nam redijt Archidux in civitatem arci proximam, ubi Turci ple-
no agmine iuxta Beglerbegi Asiæ mandatum descendere. Nume-
rabantur eximbelli turba ut pote mulieres, atque pueri, mille ſe-
ptingenti, paulò plus minusue: milites robusti ſeptingenti, & vul-
neratorum quingenti. Qui omnes tringinta quatuor cymbis
confusè junctis impositi proprijs remigibus descenderunt.

Solus Bassa, omnium fuit ex arce ultimus, vir mediocris sta-
turæ: barba ſub nigra, & Turcico more in amplum demiffa, oculis
elatis,

elatis facie plena & morib verecundis, qui sedatum magis ac fero-
cem arguebant. Quæsivi per interpretē ex illo, cur adeo deditio-
nem maturarit. Fœminæ ait, & pueri meas si duo ciulatu excor-
dem vicerunt: quibus mariti & patres calamitate illorum vieti,
accessere: nullus n. angulus, nulla ædium paticula pro securita-
te illorum relinquebatur, quin omnia in auditō tormentorum
tonitu ad imuniusque transfuerberata, sub versa, deiecta. Et
primitus ista Crocodyli (digito monstravit alteram Danubij par-
tem, ubi penes Coccorum, ex solo & severo Archiducis jussus
quatuor ænei fulminatores rectā in aream arcis, exitialibus globi-
detonabant) nos exederunt: plus quam ducentis uno die occi-
sis: præterea mihi auxilium petenti, rescripsit nuper Beglerbegus
Graciæ sat superbè, quia timida sim fæmina, & diutius manere
nolim, curram quo velim, sibi neque facultates neque animum
esse, ut subsidiario milite iuver. Quæ verba meatque omnes
præsidiarios acerbè affecerunt. dedimus arcem consultò, atq; ad
pœnam vocati culpa illius, nostram elucimus.

Tum ego ulterius, an patrem Sinanum militari experientia
æquet. Neuter ait, miles est: Sinan auro Cæsaris nostri & fi-
lius equorum velocitate superbit, qui velocius Budam cursitant,
atque ipse milites suos in discrimine agnoscit. Verum experien-
tentur nostri, quantum inter sit expertos belli viros liberali-
ter aluisse.

Hæc dicens, ad arcem respexit: Iaurinum ait militis ignavia
dedistis, at Strygonium expugnastis, quia potis non fuit, diutius
à nobis retineri. Subitò interpres meus: quid putas, plus nobis
ne lucri in Strygonio quam Iaurino damni? Esto æquum re-
spondit. Vos Iaurinum non deseretis, neque nos Strygonium:
exitus arguet potiorem sortem. Aut finibus amplificatis
Viennam adiungere oportet, vel cum Iaurino Hungariam
amitteremus: vt iam, non diu defendemus, quia commeatus

& alia periculose inferuntur. Autigitur latius euagari, aut penitus deserere est necessum.

Ego vltterius consultum egistis, quia pridie exercitum vestrum penes Budam deleuimus, & castris, (dixi ad metum iniçendum) & quanquam signis & plurimis captiuis (res verissima) potiti. Vidimus, ait, signa vestra, & ouationem (moris est in Hungaria, vt milites à prælio feliciter reuersi ante vallum castorum exclamitent sanctum IESV ter: gratiarum actionis signum) audiuius. An vero nostri ad internectionem cæsi, dubito. Quicquid sit, Strygonium deditus. Vos curate vt deditum retineatis. Ego vltterius: Nadasdij & Suuarzenburgius cum VValonibus suis fuere nobiscum, qui duos Begos: Coppaniensem atque alium ex Armenia captiuos duxere. Noui ait, quoque Paltium interfuisse. quodque maius est: Germanum principem vestrum (notans Marchionem Burgouium, qui legatus feliciter præfuit huic expeditioni, quæ inter & alias causas matirauit quoque arcis deditioñem, cuiusque subsidij spe ob hanc recentem cladem obseßsis ablata) qui prouida sua diligentia efficit, ne alter cum argenteo pede (innuens Mansfeldium) videatur obiisse. Quapropter si Budensia castra sunt in manibus vestris subito exercitum deducite, & Buda erit vestra, quia foris erant, qui mœnia defendebant. Sin minus: sorte vestra estote contenti. Sat laboris atque sanguinis ab vtraque parte fusum.

Hæc inter accesserunt alij, quorum interloquio abrupti sermones nostri. Neque longò post nauiculam est ingressus instar stridentium anserum, cumulo natantes subsecutus. Vbi regula militæ obseruata: Ducas officium esse in bello, inter milites suos, vt semper hosti proximus: & tam accessu primus, quam regressu vltimus defendat suos.

Ita Strygonium Calend. Septemb. deditum, est altero die à Burgouia legione occupatum, vbi cuiuis æstimandum relinquo, qui sensus fuerint abeuntium, quo gemitu illud paradisi, auro, & melle

MILITIA HVNGARA.

63

melle fluidum reliquerint, in qua quinquaginta tres annos Bacchanalia vixerunt. Aurum ex montanis: reliqua in circumiacentibus villis vbertim habebant: nihil omnium quod humanus vstis exigebat, defuit. Vesperi appulerunt Vacuum vbi à Bego, sicuti etiam Budæ à Bassa humaniter excepti, quod dicerent officio satisfactum post duorum mensium fortiter toleratam obsidionem, idque magna militum paucitate, qui flos omnium ad maiora sunt reseruandi. Tertio Septemb. post prophanationem templi expiatam, ingressus est Archidux cum reliquis principibus atque medium tubis resonantibus hymno Ambrosiano Deo gratias persoluerunt. Hoc templum sicuti etiam tota arx sanè augustum fuit: in cuius ingressu à dextris est facellum ex viuo præstantiss. marmore lucidum, à quodam Archiepiscopo & Cardinale Thoma Bakoczio Erdodianæ familie (cuius veri posteri sunt Nicolaus Palffij, & Thomas Erdödij, in Sclauonia potens, montis Claudii comes, quod eadem gentilitia insignia in sacello elaborata, nimirum dimidiati cerui ex media rota profiliētis arguunt) sicuti magna etiam structuræ pars ædificatum, sed hodie nihil serè præter situm & nomen supereft, moenia disrupta, templi chorus cum adhærentibus muris ad terram deiecta. Nihil vbique locorum quod integrum, neque duos pedes longum rudera sunt, qualia videntur, in Cæcio monte penes Viennam, indigestaque moles saxorum. Nulla supersunt hominum latibula, sed tormentorum globi peruvolant vndique, & quicquid lapidum forte offendunt, desuper iniiciunt in capita illorum, qui salutis causa subtus se abdiderunt. Quarto septemb. Ego cum aliquot Hungaros in cellam quandam (estellarum affabré factarum magna multitudo) introij, vt relicta expiscaremur, sed nihil præter cumulos terræ inuentum, quos progerris replendis prouidè hostes comportârant. Egesimus hic, egesimus alibi, mox caput hominis erutum, ex quo crinito (nam sua Turcæ ad caluitiem vsq; radunt) Christianum agnouimus, ac diligentius gladiorum mucro-

nibus queritando reperimus triginta octo ibi tumulatos, qui vel
motbo vel labore, aut etiam ab ipsimet Turcis libertatis odio ne-
cati, quemadmodum ex reliquis captiuis (viginti octo Calend.
Septemb. vesperi sunt egressi) prodebat: paulo post deprehen-
sum est nihil terræ cadaueris vacuum; & quocunque quis duos
pedes altum foderet, vna fossa duos, tres, etiam quatuor & plures
sepultos. Quod fidem mihi facere, plus mille in bimestri obsidio
necatos, D E O L A V S.

Iam superest Vizzegradum, quæ vox Sclavis sonat excelsum
arcem, qualis sanè vel sola est, vel socia paucis: sita est in altissima
rupe, fossam habens 12. pedum saxis incisam, quæ altum surgentia
maximam arcis partem naturali opera circumuallant: prospictu
est Danubius, sed ob altitudinem nauiculis descendentib⁹ nocere
nō potest, quæ causa est, quod Strygonio Anno M. D. XLII. ab di-
uite illo Hispano Salamanca dedito, quatuor adhuc annos pōt
in nostra permanserit potestate. Sed inferius ad ripam Danubij
oppidulum est situ amoenissimum, vt quævis alia (Tempe hīc
quondam erat Regis Hungarorum) ex quo transitus prohibetur:
quoque cum temporis Turcæ posthabita superius arce potieban-
tur. A montis radice usque ad summitatem, sunt septem millia
passuum prout via abs rusticis inuenta in circuitu per declivia du-
cit. Vnde factum est ut Turcæ obsidium à nobis desperārint: potis
enim fieri non putabant, quotis humano inuento subuehi mu-
ralia tormenta, quæ vix in planicie viginti equis promouentur;
sed necessitate magistra à quadrupedibus ad bipedes attrahendi
labor transmissus. Attractæ sunt machinæ sèpè centum equis à
radice montis per leuiter ascendentes anfractus usque ad eum lo-
cum, vbi propter nimiam altitudinem certi pedes non poterant
firmari. quos subito excipiebant Heydones Hungari, quorum se-
ptingenti, sèpius etiam mille numero longa fune triplici ordine
apprehensa, lato clamore validiusque in summitatem protraxe-
runt: Quo successu animus nostris crescere, hostibus deficere.

Decimus

Decimus nonus erat Septembris , cum octo machinis per totum ferè diem illa propugnaculi pars quaticebatur, quæ vincis obuersa, & antea quoque hostiliter passa lignis vice muri deiectis videbatur, militi nostro accedendi facultatem præbere. Quem euentum hostis metuens, pactus est secundo, hoc est, vigesimo primo die Septemb. ditione facta solius vitæ incolumentem, nihil pensi habens, suppelæctilis atque aliarum rerum. Quod mihi cognoscenti argumentum dedit inexpertorum hominum, quemadmodum visus quoq; postero hoc est, XXII. approbavit. Nullus arce fuit exitus , quia portæ, cumulo terrarum obuolutæ, non poterant moueri : scala protendebatur viginti graduum, qua vnum post alterum, prius habita inquisitione, nudatis pedibus, ablatu vestimento, exutis sæpè caligis descendebat. Ducenti sexaginta quatuor omnium erant, homines non viri alias maiori sollicitudine sibi de omnibus necessarijs prouidissent.

In arce nihil lignorum, incendiarij, ferramentorum, addo etiam gerrarum, quibus in obsidio maximè opus. Rudes VVAlachi & robusti Bosnienses fuere, addo etiam plagiarios. Duos ex pilei nota Ianitscharos vidi , non plures , & Turcicus monachus est egressus, pelle ouili, transuersum corpus, vsque ad pudenda tectus : longis capillis, squalore, atque nudis pedibus horrens.

Ipsemet Begus fuit ingens corpore, vir canus, & aspectu magnificus : imperitârat anteà Tschetschinij, quem locum occupato Filleco prius ex metu deseruit, quâm yllas nostrorum copias Vidisset. Vnum silere non possum, quod cuncti summoperè sunt admirati. Qui vltimus ex arce dimissus, incidit in manus peditum nostrorum, à quibus cùm vestimento suo vsque ad interulam exueretur, reliqui in nauicula compositi iam remulco discedebant. Quod ex alto miser prospiciens, clamore, signis, cursu precati, vt morarentur : altissima hic est vbi cunque rupes, quam saltatorio cursu instar capricorni deorsum (quod casu periculosis transiit. Archiduce cum multis millibus ominante jam

iam fallaci gressu fructim delapsurum , mille partibus in eminentia saxa illisum . Sed in columnis euasit , neque uno pedum læsa , quod magis mirum , nullis calceis munito .

Quod propterea recenso , quia cuncti haec tenus cum admiratione solent meminisse gentis duritiem arguentes . Ego expetus loquor , in magno discrimine nihil medium inter summa & præcipitia & saepius euentu felicia , quæ cepto certam perniciem ominantur , præcipue si ad extrema descendatur : Et conuenit huc , quod Poëta meus in octavo habet .

--- *Pedibus timor addidit alas.*

Addo vicinum de me sed breuiter . 12. Iulij , miserat me Mansfeldius , ut videre quid fossati in Insula oppido proxima præparatū . Ibi subito , & per cursorias , ut vocant fossas periculosè progrediens inueni ex Retauia legione cohortis præfectum Melchiorem Reichauium , præcipua inter Silesios nobilitate , qui me ad haustura vini amicè inuitabat . ego nihil abnuere , sed mandato prius defunctus . Reuertens jam , vallo me aduerso corpore sustentavi , ne proximi Turcæ in oppido ut plurimis alijs nocerent : riuus enim Danubij Decem fortè passuum , nos seiunxit . Allatum est vinum in stannea lagenæ , duplo ampliori quàm alta ; Et Reichauius confidens mihi propinavit : ego innixus vallo admoui lagenam ori , & vix bibituriens effluit mihi vinum per pectus , media lagenæ globo maioris tormenti ex arce (cui hæc insula subiacet proxima & videbat nequam Turca , elatam à me lagenam solis fulgore gliscentem) transuerberata : neque aliud propitio D E O , nisi diminuti vel magis impediti potus damnum mihi est allatum .

Fosfor Bohemus fortè infelici hora extra vallum , in plano præteriens , & globos apportando famulabatur , apud tormentorum stationes , cui dextrum pedem penitus succidit , misero post pauculum temporis extincto . Mox Reichauius aliud vini per agnatum suum Henricum primi floris adolescentem afferri iussit , quod ille me primitus ob pristinum negatum , ego illum meliori auspicio inuitare , jocis medio sermone condito . Adolescens ille intra val-

lum

MILITIA HVNGARA.

67

Quim erectus stetit, lagenam manu tenens, quod vel alius vel idem Turca (discernere non placuit num ex arce vel oppido) videns scloppeto eneuato, caput illius traiecit, vt in meum gremium (trique moniti confederamus) procumbens subito expirarit. Tum ego surgens ad Reichauium, nec tuto Vinum gustare licet? vale: tertium bibere nolo. satis est, bis bibit uentis desiderium dupli funere punitum, sic reperis vallo sum egressus. Quod recenso, vt verè gestum, quia plurimi præsentes viderunt, atque hic præstantissimus vir Reichauius viuit etiamnum, locuples omnium rerum testis: addidi obiter, vt fortunæ casus atq; incerta belli pericula notem, quæ nunquam, nisi postquam feliciter euenerint, pro fausto habentur.

Redeo ad Vizzegradum, quæ olim theca regiæ coronæ, atq; Hungarica tempe habebatur, sicuti etiam loci amenitas, & regi quondam ædificij rudera ad Daibij ripam inter pulcherrimos hortos ostendunt. Quod igitur ad sceptrum Hungaricum redijt, DEI beneficio, & militum virtuti acceptum, ferendū: quibus de aliâs in proprio suo foto plura: Quid jam vterius futurum necio: multi ominantur multa.

Archidux se plurimum fatigat in stipendio militib. præsoluendo, sed à priuatione ad habitum naturaliter nullus est regressus. Schvarzenburgici Equites (vulgò dicunt VValones) à quindecim diebus absunt castris, vndiquaq; colonorum villas depopulantes, ob bimestri stipendijs debitum, & nescitur quis & quando huius tumultus finis. etiamsi Schvarzenburgius in isto sedando plurimum elaboret: nummis, non verbo est opus. In Gallia & Belgico militant nostri Germani gratis aliquot annos, hic neque Mensem, patientia in prædam versa. Quod puto ex differentia loci euenire, propterea quod apud nos in Hungaria mera ferè solitudo. In Belgico autem frequentes ciuitates facile quiduis suggerant petaci, vigilanti. Multum alij de Buda philosophantur, quorum vota probo: rationes cum ratione damno. Sub pellibus antiqui hybernârunt: Et Arrianistus

K 2

noster

noster gloriatur se cum militibus suis intra quatuordecim annos tecta non subiisse: qualem exercitum Buda non menstruum flagitat. Tata propior est, & Papa indiget aliis inquiline: quicquid futurum solus scit ille, qui solus supra nos omnes. Ego benè omnior & youeo Imperatori Cæsari nostro, ut paulò post in Constantinopoli epuletur. Rides nè? parcius: & bellum hoc de orbe, non sola Vngaria est susceptum. Turcica gens & numerosa & militiae mancipata est, difficilis quidem victu, at semel deuicta non resurget, regnicolis receptæ libertatis dulcedine in pernicie illorum versis. Christiani verò libertatum factionibus disiuncti singulatim facile superantur, at diu seruitutis jugum, non ferunt, quemadmodum in omnibus populis Turcicæ Tyrannidis subiectis est videre: causam affero, quod dulci memoria recordentur pristini liberalis imperij, & acerbè seruile Turicum detestentur. Vnde arguo, si bellum gesserimus, pro liberatione orbis ad internecionem usque Turcarum, nos breui triumphaturos, sic verò pro anno ad solius Germanicæ in Hungaria defensione, tardè laureati ouemus. Et causam do, prioris, quia vbius locorum apud Christianos sociata inuenimus arma, quæ nostris signis adiungentur, religionis studio in pernicie conuerso. Quibus eueniet, non minus orbem excitatum ad illius internencionem, atq; colonos undiquaque ad lupi cædere conuolare. E diverso, data illi per inducias respirandi facultate, nos ocio marcescimus, & ille instar ad stadia currentis, recursu facto vehementius atque anteā nunquam suis myriadibus Europam adimpler, quemadmodum à primo Imperij æuo usque ad nostra secula factitauit: exempla noui, at breuitatis causa inuoluo. Dictio mea est bellum continuandum: Et sèpè factum est, ut principio belli victores, tandem exitu victorum leges agnouere. Solos do Carthaginenses, qui Annibale duce Romanos ad Argillas, ad lacum Thrasymenum ad Cannas, triplici acie viatos in illud calamitatis præcipitârint, ut dum Antias reliqua vrbe profugerent senat° ad defensionem muri, & reliqua juuentus

uentus armis apta exierit vrbe, vltimūm quarto prælio experturam: quod intempesta pluuiia impeditum. Ex quo die illi respirare exercitus recolligere, nouum militem conscribere: Annibal securè dormire, vagari, donec fortuna inclinante exlatio in Scilitiam, ex Sicilia in Africam, à Scipione Africano retractus, afflictam Carthaginem defendere, ac totam excidio perituram deserere coatus: vnde normam habeo: Exitu non euentu bella æstimanda.

Intueor nostra tempestate Franciam, Hispanias, Belgium, & quicquid aliorum regnorum diurno bello fuit implicatum: video instabiles fortunæ vices, Victores sèpè victis, & victos quoque victoribus imperasse; adeò nihil in bello est constans, nisi firma jam pace facta: Induciae differunt non auferunt, quæ vltimūm euentura. Beatus ille, qui & victor cum fortuna & victus contra fortunam animo inuicto, iustum bellum persecutur, certissimus, laurea donatum iri.

Hoc nostrum Turcicum plerique sunt aspernati solo Bellico superbientes, quod hostis incrementum, & nostrum damnum maturauit. Minus centum annis tempus est, ex quo Aegyptus perdomita, Hungari, Bulgari, Dalmatae, Rassi, Croatæ, VValachi debellati, Tartari præcopienses subiecti: Rhodus & Cyprus deuicta. Persæ ex Armenia in vltimos Asiæ recessus post longam cladem compulsi, vt damnosas inducias paciscerentur. Iam ex Laurino inhiat Germaniaæ, quam sola Vienna tuetur. Quæ repellamus? ea via, quâ ille ad nos venit. Quæ illa? Duplex: altera per Bosniam, & altera per Hungariam secundo Danubio dicit. Quomodo? armis hoc est, paucò & bono, & ordinato & continuo milite, quos inter volo Germanos in prima acie atque Hungaros velitarios extra ordinem cōstitutos, vt verbo dicam: multæ linguae & variæ nationis militem nolo, Germanum atque Hungarum cupio. In promptu causa est: nemo vñquam diuturnitate belli alieno milite triumphauit. Et oraculum illud habeo, quod prudentissimus Romanorum, quærendi cuidam cur illorum

Respubl. ad tantum potentiae fastigium acquisito orbis imperio ascenderit: Externis auxilijs, non vtendo respondit.

Hodiè optamus illos & istos: qui sanè exteri summo apud me sunt loco: sed neque omnes illos, neque omnes istos facile habituri: propterea quod plurimorum nares oleant balsamum Aegyptiacum, qui vt quæuis dulcia, si nimia sunt, tandem fæditæ aescet. Aspice Christianos vbique gentium principatus: nonne omnes ferè nouo, imò etiam nullo veræ politices præcepto sunt Turcis turpiter ac damnosè confoederati? O scelestam fidei nondinationem. Tu mecum exclamato: Viri Germani, & voce amicos, & violentia hostes, & baptisatos, & circumcisos cauet. Vultures tandem noscite: vestra curate: vicinos discite: domui vestræ in Hungaria prouidete, cuius fido carneo muro tuti, facile quorumuis amentata tela, ineptè jaculantium lethali vulnere repellentis. Turca & primus & solus hostis esto, ad cuius intercessionem gestio & gaudium gaudeo: Verùm nausea mihi iustè mota est nuper, quando plurimum socia ineptitudine monitus vidi & legi, quantas optimorum militum myriades copiosus consultor quidam natione Scotus, studiosè magis quam prudenter, ex toto Christiano orbe in Hungariā produxerit, vno die perimens quicquid Turcarum habeat, mundus: quod fieri opto, at futurum despero: Quis vñquam sub diuersis imperijs disiunctam Europam, ne dicam mundum yudit vnitam? Ego ignes video dissensionum, qui maiori fomento indies augentur; Et arbitror bonum istum virum & quoscunq; alios singularium vanos captatores imitari quosdam Mathematicorum, qui ex falsis præsuppositis eruant vera in sola consecutione, hoc est, yrgenti ratiocinatione, licet per se nihil euincant. Insuper instruit aciem, pugnat, depugnat, & quicquid aliarum iste ineptiarum: quæ risi cum legerem, quia longissimè à Scopo absunt. Quæ domi sunt de bellis consilia, concernunt solam procurationem rerum necessiarum, vt pote militis, pecuniarum, commeatus. Reliqua sunt facti, & à loco, hoste ventis

MILITIA HVNGARA.

77

Ventis atque infinitis alijs circumstantijs pro experta prudentia Imperatoris belli fato ad arma vocati gubernantur. Optimunt igitur militare consilium est, quod in oculis, in manu habet Imp. quando est necessum. Qui verò ante pugnam tutò prælia philosophantur, illi artis & fortunæ vim nesciunt, sed bellum sibi met-ipsis indicunt: quod minori etiam capit is periculo gerunt. Mihi autem sordent ista omnia, & opto Germaniæ nostræ istam felicitatem, ut vñâ, vnitis cōpijs, & Cæsarem & dominum suum sequatur: externis auxilijs non confidat: propria experiatur, Lege belli, non vaga cuiusvis comptuli opinione Martia tractet. Nihil cunctando Alexandrinam, & strenuè pugnando Cæsaream militiam amet: quiduis pecuniæ congerat, experto milite vtatur: benemeritos honore, ignauos poena afficiat. Veteranos per colonias deducat: hostilis regni viscera pugnacibus cōpijs ingrediatur. Sed vereor ne improbes hunc calidum nimis frequentis pugnæ feruorē: Esto: improbandum, si temerarius: si justus atque à belli necessitate expressus, causa jam est dicta. Qui imperator, sanguinem militum libidinoso magis impetu quam sobrio sensu experitur, apud senatum fecialem indemnus ne esto: Qui verò infelix à fortuna, non imprudens à ratione desertus, belli alea frequenter pugnax iudit: nemo nisi extremè improbus, apud furentem populum exemplo Atheniensium accusabit: Verùm Romana magnanimitate ad meliores Reipub. usus reseruatum cōmendabit. Quid: Nunquam est in orbe auditum, prælijs frequentibus ijsdemque infelicibus regnum milite aut viris nudatum. Satis, & hominum, & virorum semper fuerit, dum mundus stabit: neque militum sed regni jactura Principem fieri pauperiorē, quod præclarissimi bellorum duces verissimum deprehenderunt, quorum ex numero sunt Spartani, Romani, Imò etiam si Cæsari credimus ipsimet Germani. At nostro ævo Turcarum Tyrannis sit nobis admirationi sicut quoque diuturna bella Galliarum & Belgij, quæ cogitanti opinionem afferent, obfrequentissimas ad internectionem

cædes

MANSFELDIANA

cades sèpè nihil ferè hominum superesse: cum tamen quiuis anguli instar horreorum frumentis plenorū distent: Ex Ciuitatibus, oppidis atque villis frequentissimi prodeant, non secus ac formicæ denso eodemque nigro agmine in campos. Opportune jam memini, quæ Bassa quidam captiuus Turca prætori Veneto, Anno L. X. XI. respondit, quando amplissimis laudib⁹ potentiam suæ Reipubl. nauali prælio vietricis ad perniciem Mahometanorum occinebat. Vos ait: Domino meo rasisti barbam, & ille vobis brachium abscidit. Innuens nimirum, Turcas solum passos militum & rerum mobilium vtpote triremium jacturam, quæ instar crinum semper renascuntur. At Venetis Cypro amissa non dari alio Cyprio regno, ter maximam prioris anni cladem recompenſare. Iterum ſuggerens: Bellum geri propter regna & imperium, quibus etiam damnosè occupatis lucrosa est victoria præfò. Ex quibus arguitur: Hoc in bello Turcico, misericorde militia Rempub. nihil aut parùm augeri: magnanima, constanti, pugnaci, prouida, semper æquè animosa juuati: Sors domina campi. Sicuti finis est ab internecione hostis, ita principium quoq; à pugna, quæ cum sit in extremis constituta, nunquam est absque necessitate tentanda, donec medijs cursus securiorem viam sumministrant. Et vidimus huc usque militem Christianum à diuturne otiosis castris, non hoste occisum. Et certus statuo: citius Danubio aquas, atque inuestissimo Cæſari Rudolpho II. fataliter aufspicato triumphatori, ac prudentis mundi gaudio, militem hoc bello defuturum. Sunto præclarri Duces non ex nundinatorio, sed verè Martio foro: pecunia, neruus belli certo stipendio habetur. Centum legiones sola Germania (est enim populissima totius mundi non sola vrbis sicut Roma, quæ primūm punicis, deinde ciuilibus bellis, sensit hominum egestatem, frequentib⁹ matrimonijs ex lege portia restaurandam) quotannis ad centum usque annos, relictis quoque plenis vicinorum ædibus emittet. Vtus omnium penes Imperatorem belli, pro Reipub. commodo, & pugnando & expugnando, liberrimus esto.

Rur-

Rursum ais, Germanum militem pristino inferiorem. Fator inuitus, & doleo vehementer ob peditatum præcipue, qui nunquam vilior est visus atq; in Hungaro bello. Sed virtia sunt præfectorum, non militum, aut nationis. Alij sunt ætate, alij experientia ad bellica, minus apti, quam ego ad volandum: Et satis est illos dici, tales, quales haberi velint, quamuis non sint. Miles ex officinis ad signa conscribitur, si robustus hasta: si paruuus sclop-peto: si lingua ferox, bipenni armatur: stipendia marent alij, " acceptant. Nemo est, qui statutis diebus exerceat suos in cursu, in ordinibus, in signis noscendis, sed quales vtraque manu, & pedibus nati, tales quoq; simplici naturæ impetu ad lusum belli ducuntur. Ex quo euenit, omnia tutis esse magnifica, quia imperiti rerum nesciunt recessus belli sed periculose ardenti armorum facto admodum jejuna, pluribus ad fugam quam prælia intentis. Quod maculam alpergit nobilissimæ nationi nostræ, atq; ipse met Imperator belli honestissimo ausu destitutus cum tota Respub. periclitatur.

Hinc opto collapsam militiæ disciplinam reuocari: Germanos cum Hungaris Hungariam: Italos per mare Græciam: & Polonos cum Transyluano Traciam aggredi, donec aditu vndiquaque ad Constantinopolim belli sedem adaperto, & ipsa quoq; socijs armis subuertatur. In vnis campis, in uno exercitu, tot nationum illuuiem, quis probaret? quibus neque lingua, neq; mores, neque Dij etiam propè communes. Solus Annibal Carthaginensis, florente fortuna regere illas nouit: desertus verò ab iisdem vnius prælij infelici euentu. Et Hunnorum Attila diu non perstitit, neq; vt antiqua recenseam, Persarum Xerxes cum Dario fuere multum validi, quemadmodum quoq; superiori proximo aeo
SIGISMUNDVS Augustus Imp. ad Columbinum, atque
VLADISLAVS Rex apud Varnam, est summa calamitate imperij expertus. Hinc didici verissimum: paruas exercitatas copias, semper magnis præualuisse, quoties uno die fuerit de summa rei

ritè (optimi Duciis munere) instructâ acie, collatisque signis pugnatum: exempla & causas dabo aliâs.

qui domi bene stat, foris hanc facile cader.

Confusas gentium Myriades aio debiles, quia ordinatio militia omnium est princeps cuius anima est disciplina, quæ vnitam potentiam auget, neq; vllibi magis, quâm inter ijsdem moribus atque jure milites est æquabiliter diuturna. Reliquæ cateruæ ad menstrua magnifica voluptatis bella, aliquid faciunt, sed diuturnâ annua nihil: illa mihi sit Natio in quoq; loco prima, quæ illi, & proxima, & semper nouum militem sufficere potest. Italus in Hungaria mensem durat, Belga semestri itinere abest: Germani, & copiosi & vicini semper haberi possunt, at exercitati non sunt? O quâm acerbè indoleam hęc laudum nostrarum odio disseminali, quin sublati cauponationibus, sub disciplina meliorum ducum exerceantur. Idem sunt Germani, qui olim: fide & armis ante omnes mortales, ceu Tacitus meus de illis gloriatur. At paucorum vitio, & ignaua ignorantia laudabile pristinum militię iter intermissū magis, quâm omissum, vniuersos turpiter commaculat, quæ culpa singulos concernit, à quibus gestorum ratio est seuerissima militari lege reddenda. Imò etiam Laconico arbitrio reposcenda. Huic igitur malo facilè succurritur, schola Martia; cuius miles talis erit, qualem velit esse, qui dicit. Idem est coelum, nobis quod nos ante mille annos, texit: eadem patriæ natura, vis, nascendi, conditio, belli amor: sola studia desunt atq; exercitatio, quæ à ducibus auita principum ducum cura flagitanda. Gregarius miles strenuè suo officio fungetur, modò suū præfecti nōrint: Nam militia est ars, quæ sicut omnes aliae, vult prius disci quâm exerceri. Disciplinæ magisterio est opus, quod triumphi est fundamentum. Ex quo liquet, expeditam & facilem, si dextrè adhibeat, esse huic malo medicinam: quæ singulos nō vniuersos attingit. Verum grauior est morbus totius Germaniæ, quam Christianæ Reipub. Principem solam volo præ alijs bellî onus fustinere, atq; amico sociorum amplexu triumphi laurcam

sibi

ibi mancipare, in lucro habentem quicquid ab externis, præcipue summo Pontifice Romano clemente VIII. (cuius æterna hodie in Hungariæ merita, nemo dignè satis laudabit) pecuniario subsidio adiiciatur. Namq; omne perfectum est vnum: & quævis magna diuturna bella sunt ab uno vnius nationis Principe confecta, quæ semper duxit agmen, reliquis extra ordinem inter auxiliares pro aciei dispositione constitutis. Quod Imperatoriæ Germaniam, sociatis externorū copijs imitari velim, quo & nomen, & legionaria Aquila Romani Cæsaris ubiq; locorum Turcarum aures atque oculos circumsonet, quemad: & potentissimi hostis cōditio, & diuturnæ laboriosæ militiæ necessitas, & prudens tam antiquitus quam nouiter experti belli ratio euincit. Vtinam sacerdotalis non esset: quo libidinoso litigio nullum vehementius confundit publicum statum. Sed nolo ex viso jam portu in altum mare cum periculo euagari. vela contraho, & finem cuius mei Mansfeldiani cursus facio. cuius spacio leuiter emenso te lucidissimum auitæ nobilitatis exemplar sollicitus rogo, vt ruditati meæ parcas, quod è justius mihi petenti concedes, quò magis hæc ut prædicti pyrium puluerem, non oleum Demostenicum, olere animaduertis. Mihi sic vñsus est, nihil literarum sine armis tractare: alijs quò minus securè philosophentur, non inuideo.

Hæc Mansfeldiana extorsit admiratio virtutum: quæ cuprem manere in animis hominum, in æternitate temporis, in fama rerum. Et quamuis hæ chartæ parùm ad ista faciant, tamen illud apud te effectum iri spero, ne fortissimus ille Princeps velut inglorius atque ignobilis, momentanea obliuione obruatur.

Alij restant annalium libri, in quibus inter alios posteritati narratus & traditus semper superstes erit. Vale, ac hastatam paupertatem meam literariam foue. Ex castris Strygoniensibus Calendis Nouemb. Computo Gregoriano Anno M. D. XCV.

Sequuntur jam duo Epicedia.

MANSFELDIANA

MILES GERMANVS, ITALVS, BELGA ET HVNGARIUS apud Mansfeldianum funus acerbe lugent,
voce N. Gabl.

Viator.

EHeu fugaces Carole Carole,
Labuntur anni, & te quoque jam manet,
Commune fatum, æterna vita,
Nescius accelerare secula?
O quæ misella est conditio Viri,
Et foeminae, cunctorum hominum quoque:
Iam nasciturus mors adhæret,
Pallida mors, nece colla prendens.
Esto: feramus cuncta volentibus,
(Culpæ trahunt poenas) animis, DEI,
Immota lex est: sed virorum.
Vni abijisse dies dolebo..
Ah me misellum, ah me nihil omnium,
Quotquot teguntur cœlo: hodiè virum
Vidi triumphantem hoste cæso:
Cras erat omnium in orbe nullus.
Dico virum? sanè genitor dedit
Talem: sed Heros est meritis suis,
Qualem sacris mundus vetustus.
Associat genijs Deorum.
Et jam perissi Carole, Carole?
Germaniae sidus: decus incliti..
Belgi: Columna arui Hungarorum.
Diuitis? o lachrymæ dolorum.
Salve viator: quæ tua nuncia?
Quo pergis: & vnde est inter hoc tuum:
Ne nuncium quæras? volare
Iussus ad inclytarura Pragæ,

Miles.
Germanus.
Viator.

Ad

MILITIA HVNGARA.

77

Ad Cæsarem mundi Dominum & Patrem,
Castris relictis Strygoniensibus.

Miles.
Viator.

Quæso? quid illic est nouarum.

Parcius accipe; vixit ille

Mansfeldius, nec bellageret magis,
Tandem quies lætissima mortuis,

Debetur. Germ. ô infausta rebus,

Sidera pannonicis : quid illo

Maius malo? vir natus ad arma, vir
Nutritus inter castra, Ducum omnium

Primus quod æuum nouit, ille

Occidat? ô lachrymæ dolorum.

Et Principem nunc perpetuus sopor
Mansfeldium alto à sanguine Principem

Factum, vrgeat, quem dextra mundi.

Cæsar ad astra tulit potentem.

Quem multus ornat pudor, & fides.

Integra diuæ iustitiæ foror:

Cui nuda nupsit veritas, quem

Mars genuit, peperere Diuæ.

Sanè ille multis flebilis occidit,

Nulli sed vnquam flebilior, tibi ac

Cui, colono, & quicquid vsquam est

Pannonia: hic dolor est dolorum.

Spes magna erat, clavis fore Turcicæ

Autorem, & omnes orbe repellier,

Ceu prima vicere arma, sed jam

Omnia versa retrò vagantur.

Ad publicos luctus: capite inclito,

Fati via erepto: mili siigerit

Mens, vltionem Numini esse

Cura, inimico: ea causa poenæ est,

L. 3

O Dina,

MANSFELDIANA

Miles na-
ius &
Vvalonū.

Hung's

O Diua, certi nescia foederis
 Fortuna? quid tandem tibi vendicas,
 Securitatem vel superbos,
 Vertere funeribus triumphos?
 Iniurioso tu pede proruis
 Stantem columnam Martis & Hungaræ
 Pacis: Virum Mansfeldium, quo
 Non melior fuit orbe: septem.
 Linguis, & insigni eloquio potens,
 Cui dulce, chara pro patria mori.
 Musarum amator, fortis Hector
 Teutonicum celebrâre Achillem.
 Eheu paterni, vulnera me necunt,
 Regni: quis vñquam tristitiae modus,
 Mansfeldium quis reddet ab æthere
 Delitias hominum & Deorum?
 O tu alter Heros Hunniades: viden?
 Tepauper ambit sollicita prece
 Ruris colonis: te reposcit
 Quicquid habet genus Hungarorum.
 Te Turca prædo, te profugi Schythæ
 Gens Tartarorum, te Mahometicæ
 Regnumque matres barbarorum, &
 Purpurei metuunt Tyranni.
 Ehem, quid aio: te metuunt: fuit
 Fortuna: nuper te metuere, nunc
 Morti datum armis gloriatur
 Fex hominum pariter dolosa.
 Haud illa tanget gloria credulos,
 Nec fas tuum hostili petier manu,
 Corpus: perirent, quotquot essent
 Militum: ab arce D E I hocce malum est.

Esto:

Esto : feramus fortiter omnia
 Maiora passi : fospite Cæsare
 Quodcunque durum nil nocebit
 Sunt sua fata Viris potenti.
 Dextra : supersunt corda : nec vnico,
 Quæuis medulla est osse : voubimus
 Mansfeldium nobis secundum
 Et requiem meritò beatam.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

ab eodem.

QVis ante hic ? Carlus Mansfeldius inclita proles
 Martis quæ facti gloria ? quære homines.
 Cum Gallo Batauus, cumque Anglo dices Iberus.
 Germanum noli quærere, **Quis memoret?**
 Omnia sunt verbis maiora, sed optimus Humus
 Illius ob merita altum meditatur opus.
 Infelix Hunnus, qui talem perdit Achillem
 Matthiam talem atque Hunniadem reducem.
Vndique defunctum luget gens Christicolarum
 Si causam quæris ? riserat illa prius.
 Strygonij labor, & dextra vi|trice triumphus,

 Turcas immemores reddidit esse sui.
 Obstupuere Virum : & fato gentem esse Deorum,
 Pensantes, castrum ditione datur.
 Ingreditur Princeps belli virtute **M A T T H I A S**
 Augusta: castrum Cæsaris esse jubet.
 Vis armata inerat verbis dominatur ubique
 Cæsar ; ac vt Carlus viueret vltterius,
 Non potuit leges parcarum tollere dixit:
 Prudenter fortis reddito Christe viros.

F I N I S.

OCN 7943857

LAWRENCE LIBRARY

MARCH 21, 1945

LIBRARY


STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES


STANFORD, CALIFORNIA 94301


STANFORD LIBRARIES

STANFORD, CALIFORNIA 94301

21 M-14







legumina & alti pks v t huk 118

~~Poetry~~ Verbs

6985-89

